BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
A
33
NAPOLI

Italia

33

Italia



DE
PRINCI
PATIBVS
Italiæ;
Tractatus
Vary.
Editio secunda
Priore longè
auctior.
LVGD. BAT.
Ex officinâ
Elzeviriana.
Cum privilegio

Illustrissimo, ex

D. DVDLEI

TONO, Baro

COVRT, Vi

supremo,

serenissimi

TANNI

illustrissim

gicæ Ord

Illustriss. &

Or

D

I

gn

tur auctor,

tereretur m

qualicumq

cum iustas

stinassem i

auctor mi

Illustrissimo, excellentissimo,

D. DVDLEIO CARLETONO, Baroni ab IMBERCOVRT, Vice-Cubiculario supremo, Equiti aurato, serenissimi MAGNÆ BRITANNIÆ, &c. Regis, ad illustrissimos fœderatæ Belgicæ Ordines, Legato.

Illustriss. & excell. Domine:

COmmentarium hunc DE PRINCIPIBVS ITALIÆ, *haud indignum, cuius nosceretur auctor, quique multorum tereretur manibus, Latina à me qualicumque donatum veste, cum iustas ob caussas emittere destinassem in lucem ἀνεπίγραφον: auctor mihi hortatorque seriùs*

fuit Serenissimus Bohemiæ Rex designatus, &c. FRIDERICVS HENRICVS,, *ingenio, memoria, iudicio ad miraculum præstanti suspiciendus omnibus, præclaris in me meritis, mihi summa animi demissione studioque colendus Princeps, tibi, ut magnorum abs te acceptorum beneficiorum, sibi (ut quæ magna ex parte commendatione mei sua ipse conciliavit) cognitissimorum, testimonium dicarem. Illius ego in ætate nondum matura, iudicio maturo, haud potui sine piaculo obfirmato animo refragari. Reluctandi hæc fuit caussa. Premebat me (& vehementer) scrupulus, ne novum potius hoc officio viderer affectare beneficium, quam agnoscere vetera. Eum mihi, si non omnino, exemit Principis auctoritas, at lenivit saltem hactenus, ut hanc in partem præoptarim peccare, quam opportunæ grati profitendi*

saltem

saltem animi, deesse occasioni, & ingratus omnino atque beneficiorum immemor haberi, cum suspicione fortassis nonnulla, à benevolo mihi & benefico Principe profecti, salutaris mihi & honorifici neglecti consilii. Qualecumque de me aliorum est futurum iudicium; ego, bona fretus conscientia, hoc à me agi unum, ut homines sciant, tibi me plurimum debere, auctoritati, consilio, imperio, officii me commonefacientis rectaque suadentis Principis, non obtemperare, nefas iudicavi. Abs te, Illustrissime & Excellentissime heros, πολιτικὸν hoc scriptum angustis circumscriptum finibus, te homine πολιτικωτάτῳ haud fortasse indignum, & rei politicæ studiosis, ob argumenti in tanta brevitate copiosissime accuratissimeque tractati præstantiam, haud iniucundum inutilève futurum, eâ certo mihi

persuadeo susceptum iri alacritate, quæ & aliis quamplurimis ad arripiendum, idem avideque perlegendum, incitamento sit futura. Id si consecutus fuero, novo me abs te, eoque ingenti, auctum censebo beneficio, maiora fortasse olim tanto conaturus probatore. Vale, & optimo Regi nostro CAROLO, *Reique publicæ longùm felix florensque vive, & clientem tuum Seghetum, patrocinio tuo porro complectere. Lugduni Batavorum, Non. Novembris.*

Illustriss. Excellentiæ tuæ

Obstrictissimus cultor

THOMAS SEGETHVS.

IN-

INCERTI AVCTORIS DE PRINCIPIBVS ITALIÆ COMMENTARIVS,

Ex Italico in Latinum versus

à

THOMA SEGETHO.

ITALIA est omnis divisa in Principatus undecim. Ceteri dynastæ, quantumvis mero & misto imperio utantur, cum jure auri, argenti, æris, flandi, feriundi: possunt tamen, è Germaniæ consuetudine, Barones verius dici, quam Principes, quod & ditiones angustas & exiguas opes possident.

Ac Principes quidem sunt hi: Pontifex Romanus, Rex Catholicus; tres Respublicæ, Venetorum, Genuatium, Lucensium. Duces, Sabaudiæ, Hetruriæ, Mantuæ, Mutinæ, Parmæ, Vrbini, Baronum numero censeri possunt. Princeps Guastallæ, Marchio Castillonæus, aliique è gente Gonzaga, Princeps Mirandulæ, Princeps Massæ & Carraræ, Monachii & Corregii Dyna-

ſtæ. His addi poſſunt Barones Romani, quibus tamen cudendi numiſmatis jus non eſt. Vt mittam, auctoritate Pontificis graviter eos premi.

I.

DE PONTIFICE.

POntifex, qui & ſedis Apoſtolicæ nomine cenſetur, ſex in Italia ditionum potens eſt. Ejuſdē eſt Ducatus Beneventanus in Regno Neapolitano, Comitatus Avenionenſis in Provincia Narbonenſi. Vaſallorum illi immenſa vis eſt; quorū præcipui ſunt Hiſpaniæ Rex, ob Regnum Neapolitanum, (quod & utriuſque Siciliç nomen fert) Dux Parmæ & Placentiæ, Dux Vrbini. ditio quoq; Radicofanenſis cum territorio quod aduſque Pontem Centinum porrigitur, fiduciario jure à Ferdinando Mediceo (quâ Senarum Dux eſt) perpetui Vicariatus titulo poſſidetur. Sex vero ditiones ſunt. Romana, quæ à Regni Neapolitani finibus principium ducens, ad pontem uſque Centinum extenditur, magnamque Hetruriæ partem amplectitur. Ditio hæc ab ipſo regitur Pontifice, nec ullus eo mittitur Legatus, ſicut in aliis fit.

Vmbriæ ditionem Legatus regit. Ea Lega-

Legatio Perusina dicitur, à Perusio præcipua ditionis civitate.

Romanensis ditio vetus, Legationis nomen fert. Nunc eam Ferrariensis Legatus administrat, qui antequam Clemens VIII P. M. Ferrariam in potestatem redegisset, Ravennæ sedem imperii habebat. Amplectitur hęc ditio decem urbes, Ferrariam, Comaclum, Ravennam, Imolam, Forum Livii, Faventiam, Ariminum, Cerviam, Cesenam, Bortinorum.

Ducatus Spoletinus & Marca Anconitana, junctim Legationem constituunt. Omnia in potestate sunt sedis Apostolicæ. Solus Vrbini Dux nonnulla huius ditionis loca, fiduciario jure à Pontifice habet.

Est & ditio Legatioque Bononiensis, cui unica illa civitas est.

E a sex hisce ditionibus, Ducatibus, Comitatibusque, addito Vasallorum tributo, percipit sedes Apostolica decies & octies centena scutatorum millia annua, quæ quotidie auget, redigendis in potestatem suam abolendisque feudis. Quamvis autem tantam pecuniæ vim, quantam jam memoravimus, reddant hæ ditiones; parum tamen aut nihil compercit Pontifex, *(vix enim centum millia ducatorum su-*

perare refert ſereniſſimæ Reipub. Venetæ Legatus ad Clementem VIII) exhauriente quotannis fœnore privatis debito è [b] montibus (quos vocant) vacabilibus & non vacabilibus, octies circiter centena ſcutatorum millia, præter eos ſumtus qui in præſidiariorum militum ſtipendium erogantur; quibus tamen Eccleſiæ opus non eſt, ut quæ ipſa ſe ſatis religione tuetur. Verum hoc Nepotum Pontificiorum compendium eſt, qui quotannis plus dimidio ſtipendii in ſuam arcam derivant. Sumtus in miniſtros modum excedit, cum dimidium poſſit ſufficere. Hi rapinis crebro provinciales premunt. quas injurias muneribus, in Pontificum nepotes collatis, tegunt redimuntque.

Magni à Pontificibus in ſubſtructiones, memoriæ ad poſteros propagandæ, ſumtus fiunt; in quibus tamen vitare non poſſunt, quin emungantur.

Poſtremus ſumtus fit in compenſandis recuperandiſque feudis, incumbentibus in hoc vehementer Pontificibus, ut aboleantur. Sumtus jam memorati redditus abſumunt. opinio tamen eſt, in arce [c] Sant. angeliana, repoſita exſtare vicies centena ſcutatorum millia.

Privati

Privati Pontificis redditus, sunt è Dataria officiisque Cameralibus: quæ quidem antiquitus ob merita conferebantur; à Sixti Quincti Pontificatu venalia sunt.

Potentia Pontificis maritima constat duodecim triremibus. terrâ autem, exercitum potest è ditionibus suis scribere peditum quinquaginta millium, equitum quatuor, strenuorum ignavorumque. Vmbri præstantissimi fuere, & armorum tractandorum peritissimi. Feudatarii quoque, si belli ratio postulabit, auxilii aliquid subministrare non contabuntur, quemadmodum, quo tempore Ferraria in potestatem redigebatur, à Parmensi & Vrbinate Ducibus milites submissi fuêre.

Maxima Pontificis potentia, in Italia quidem, in sacrorum interdictione videtur esse sita: id quod in negotio Ferrariensi patuit.

II.

REX CATHOLICVS.

REx Catholicus, in Italia possidet Regna, Neapolitanum & Siculum, quæ fiduciario jure, ab Ecclesia Apostolica agnoscit, tributúque nomine quotannis asturconem Pontifici

tifici pendit, cum sex scutatorum millibus.

Possidet quoque ditionem Mediolanensem, quà & Senensis comprehenditur, Medicææ genti fiduciario jure concessa; ad hæc, Marchionatum Finalis & dynastiam Pontremolensem, ditiones fiduciario jure, eoque libero, à Cæsare concessas.

Possidet etiam insulam Sardiniam cum titulo Regni liberi. Ea tamen à Rege non magni censetur, prædæ sæpe piratisq; exposita; tum tuendæ Siciliæ ejusq; feudo insulæ Melitæ (è qua hoc titulo quotannis falco ei penditur) Sardorum triremibus utitur.

Ex omnibus his ditionibus percipit Rex quotannis (comprehenso quod Neapolitani altero quoque anno pendunt donativo) summam fere quadragies centenûm millium scutatorum. Verum ea maximam partem variis est oppignorata. quod vero supereſt, in præsidia, peditatum, equitatum, triremes impenditur. in eandem rationem veniunt pensiones quæ in varios Principes, Barones, diversarumque nationum proceres, item in Præfectos ministros erogantur, præmiaque quæ ex his fere ditionibus confert Rex. Triremium sumtus, Principis Auriæ, aliorumque

rumque procerumGenuatium penſiones, militum qui in Belgium mittuntur ſcriptio, armorum in eorumdem militum uſum paratus, variorum locorum munitiones, veredariorum expeditiones, aliaque onera, omnes quos ex his ditionibus percipitRex redditus, abſorbent. Quas autem ex iiſdem opes & emolumenta percipit, hæc ſunt: multos milites ditare; multos ſibi obnoxios reddere Principes & dynaſtas; in clientes multos præmia conferre; equitatum peditatumque, quoties opus eſt, conſcribere; quinquaginta triremes in omnem uſum inſtructas habere: adhæc, negotia forenſia, vacationes feudorum, munerum publicorum, & ſacerdotiorum: quibus addi poſſunt largitiones, quæ in aula Hiſpana effunduntur, ut ſui quiſque voti compos evadat. hæc, hæc, inquam, Regem conſtituunt Italiæ arbitrum, aliis ſub clientela ejus viventibus, aliis illi per penſiones obſtrictis. Genuates vero & Lucenſes ipſi ſe per ejus patrocinium atterunt.

Potentia autem per Italiam quidem eſt ingens, eo quod magnâ equitatus peditatuſque vi, è Regno Neapolitano ditioneque Mediolanenſi inſtrui poteſt (quod expertus eſt bello Belgico.) mari-

maritima autem potentia, triremium quinquaginta classe constat.

Venetiæ.

RESpublica Veneta, plenâ in suis ditionibus potestate utitur, nec in illam quisquam quidquam sibi juris vendicat, nisi quod Turcarum Imperator, occupatam ab ea Corcyram, sui juris insulam obtendit; quod in Ottomano suo Lazarus Superantius scribit.

Septem in Italiæ continenti urbibus dominatur; Patavio, Vicentiæ, Veronæ, Brixiæ, Bergamo, Tarvisio, Cremæ.

Extra Italiam, Foro-Iulienſi ditioni imperant, Cretæ Regno, Corcyræ insulæ, aliisque oppidis & locis munitis in Græcia, Sclavonia, Bassina, Dalmatia.

Administrandæ Reip. potestas est penes nobilitatem, è qua nemo non magistratuum est particeps, pro suo quisque gradu. Prudentissimi censentur & ad rempubl. gerendam natiorıuntur tamen nonnumquam inter eos ex multitudine discordiæ: ut mittam, prodi arcana eorum Principibus quibus ea scire expedit.

Redditus annui, tricies centenis aureorum millibus æstimantur. Sola quippe

quippe urbs Veneta Italiæ horreum (uti fama eſt) reddit quotannis octingenta ſcutatorum millia.

Sumtus è contra, è theoreticorum ſententia, immenſus eſt, ſi quis ſecum ipſe expendat, quantis impenſis tuendæ ſint Creta & Corcyra, cum multis aliis locis Turcæ ditioni conterminis, cui parum fidunt, quamvis induciæ inter utroſque ſunt. Ingenti quoque impenſa exſtruitur Palma, propugnaculum (ut ajunt) inexpugnabile. Magno etiam conſtant præſidiarii milites, in iis oppidis locati, quæ Auſtriacis ſunt finitima & Vſcocchis, quibuscum continenter bellum gerunt. Multum exhauriunt Brixiæ, Bergomi, Veronæ præſidia; quæ loca, non ſine magno metu poſſident, ob jus, quod in illa oppida obtendunt Hiſpani ad Ducatum quondam Mediolanenſem ſpectantia. His adde duodecim turmas equitum cataphractorum, quos ſine intermiſſione alunt, memoratis oppidis tuendis. Adde & quinquaginta, nonnumquam ſeptuaginta, imo & octoginta triremium (prout ab hoſte ſuſpiciones ingruunt) ſumtus, Hadriatico mari aliiſque multis locis tutandis. Adde & plurimos equeſtris ordinis viros dynaſtaſque, quos opimis penſionibus ſibi

sibi habent obnoxios. [c] Ioannes Baptista Montanus, aliique ejusdem conditionis Legati & negotiorum gestores apud omnes Principes Christianos; Bailus Constantinopolitanus; munera quæ identidem Bassis dantur; substructiones quæ in navali fiunt, seu armamentario; stipendia quæ ex muneribus publicis, præmium laborum percipiunt nobiles, ingentem pecuniæ vim exhauriunt. adde & fortuitos sumtus, cujusmodi sunt pecuniæ nonnullis Principibus mutuo datæ, munera, sumtus, quos in excipiendis tractandisque hospitibus faciunt; qua sane in re splendidissimi sunt.

Caput hujus Reip. est Dux, cui titulus datur *Serenissimi* & Celsitudinis, æque ac primæ dignitatis Ducibus. Perpetuus est illi hic magistratus, solebatq; olim è veteribus familiis nobilibus creari: nunc vero perinde est, sive è primis, sive è secundis, seu deniq; è novissimis legatur. Percipit è publico quotannis duodecim scutatorum millia.

Secunda in hac Republ. dignitas est Procuratorum divi Marci, qui [f] novem numero sunt, eodemque quasi quo Cardinales loco Romæ: ex eorum enim fere Collegio Dux creatur.

In populo primus est Cancellarii honos

honos, ſummæ & dignitatis & emolumenti.

In præſens vacua eſt Reſpubl. omni ære alieno, ajuntque repoſita ſibi eſſe in ærario centies vicies centena millia.

Potentia hujus urbis major cenſetur mari quam terrâ; ita ut, ſi urgeat neceſſitas, centum triremium claſſem alere poſſint, quamvis ante annos aliquot, cum de fœdere inter Pontificem, Hiſpanum, ipſoſque ageretur, ſe excuſarint, quaſi eum numerum inſtruere non poſſent.

Duarum maximi momenti rerum penuria laborat hæc Reſpubl.; militum & frumenti. Militibus opus habent ad præſidia quæ multis locis tuenda ſunt, in Græcia præſertim. Ea de cauſſa permiſſum eſt iis à Pontifice, militem ex ejus ditionibus ſcribere, tam hunc in finem, quam triremibus inſtruendis, quarum ope, magno Chriſtianorum bono, tuta ſervantur Italiæ maria à piratis.

Submiſſa fuere illis à Rege Galliæ bello contra Vſcocchos gerendo, tria peditum millia. Atque hac ratione confirmantur ab iis ſubditi, qui in continenti agunt, ut memoratas tueantur urbes adverſus Hiſpanos, quorum perpetuo in metu vivunt.

Rem frumentariam, coguntur sibi ex Oriente prospicere, è ditionibus Ecclesiasticis, è Ducatu Vrbinate Comitatuque Mirandulano, atque aliis Italiæ locis.

Annonæ gravitas ex immenso capitum numero oritur, quibus urbs Veneta est referta. est is ducentorum millium. triremium locorumque munitorum apparatus, magnam vim exhaurit.

Quas in continenti possident ditiones, eæ, quamvis territorio amplo sunt, montibus tamen abundant. quin & illæ urbes, quæ maximè frumento affluunt, quantumvis severe interdictum sit, ne frumentum exportetur, emittunt tamen magnam vim Tridentum, in Rhætos, alioque finitimos, quibus est opus.

Imperium eorum, pacis quidem tempore, satis æquo animo ferunt subditi. Vasallis sane, Brixionis præsertim, auctoritatem jurisdictionemque in feudis eripuerunt, redditus reliquerunt. Proscriptos in integrum ut restituant, ægre à se impetrari patiuntur, quos ne bello quidem ingruente revocant.

Nonnullorum è nobilitate immensæ sunt opes, adeo ut vix æstimari possint:

possint: id quod tribus è rebus oritur, parsimonia, commercio, atque iis emolumentis, quæ è Repub. percipiunt, quæ hanc ob caussam diuturna fore creditur.

III.

GENVA.

GEnuarum urbs olim potentissima fuit, solebatque cum Veneta de imperio certare. nunc, præter loca litori vicina, nihil possidet. Extenditur litus in longum sexaginta millia passuum, principio à Serrezana villa Francam usque & Monachium ducto. Complectitur hæc ora civitates novem. Genua, Savona, Serrezana præcipuæ sunt. Possident & insulas Corsicam & Caprariam.

Corsicæ tres sunt urbes, virorumque & militum copia: verum exiguos inde fructus percipit Respubl. Cujus in universum quotannis quingentis scutatorum millibus redditus cententur. hi in loca maritima portusque tuendos impenduntur. Pensio etiam Ducis, sumtus in Legatos, quos in Pontificis, Cæsaris, Hispaniæque Regis aula alunt, in sex præterea triremes, quas semper instructas habet, magnam reddituum partem absumunt g. Monti

divi Georgii maxima civitatis Genuæ vectigalium pars oppignorata est. Origo huic Monti fuit tunc, cum gerebant bella, nec fœnoris nomine plus tribus in centena quotannis solvitur privatis, iisque fere Genuatibus.

Rempubl. hanc tam plebeii quam nobiles regunt: atque hinc sæpe dissidiorum causæ.

Dux promiscue creatur è nobilitate aut plebe, in biennium; quo exacto tempore, divi Georgii Procurator fit, cum annua quingentorum scutatorum pensione.

Princeps Auriæ, Massæ Princeps, aliique qui operam addixere Regi Catholico feudaque possident, non admittuntur ad Reipubl. hujus administrationem.

Magna iis suspicio est à Magno Hetruriæ Duce, ob Serezanam urbem, quæ ad Florentinam Rempubl. olim spectabat. etiam ob insulam Corsicam, Pisanæ quondam reipublicæ. itidem ob Savonam urbem, in quam jus semper sibi vindicavit Saxoniæ Dux, unum illam esse dictitans è septem Marchionatibus suis, quos dono dederat Cæsar Otho Alterami Altesiæque filiæ, è Saxoniæ Principum stirpe.

Metuere etiam sibi cœpere ab Hispaniæ

ſpaniæ Rege, poſteaquam Finalis Marchionatum occupavit. à Principeque Auriæ non parum timent, ne quando urbis illius imperium velit invadere favente Rege Catholico, in cujus clientela vivunt; quamvis verus patronus ſit Imperator.

Quicquid Genuatibus opum eſt, id habet in manu Rex Catholicus, eoque illi obſequentiſſimi vivunt, majore obſequio, quam ſi eorundem urbes præſidiis, arcibusque præfectis ſuis contineret. quin & ex illius ditionibus alimenta ſibi coguntur proſpicere, cum à ſuis ægre corradere poſſint, quantum ad bimeſtre quotannis ſatis ſit.

Nobilium Genuatum pars major locuples eſt; bonaque poſſident in Regno Neapolitano ac ditione Mediolanenſi. alii maritima munia exercent. tenuiores maritimis fere rebus ſtudent. urentibus illorum opera Hiſpaniæ Rege aliiſque Principibus. quæſtum etiam faciunt è telis è ſerico, quod exteris in regionibus emtum ita texunt, ut eorum telæ pluris æſtimentur quam quorumlibet aliorum, per univerſum orbem Chriſtianum.

At potentiam eorum quod attinet, jactant quidem ipſi exercitum ſe poſſe ſcribere ſexaginta millium peditum.

id quod si ita se haberet, Corcis pauciſque aliis montanorum exceptis, ceteri omnes idonei magis essent, qui mari, quam qui terrâ operam navarent, eo quod litorarii fere omnes rebus maritimis studeant. Gens hæc ceteris Italiæ populis pacis studioſior habetur; quod forte è continua eorum quæstus faciendi cupiditate provenit.

IV.

LUCA.

RESpubl. Lucensis à Nobilitate tantum regitur. Ii sunt Senatores, Vexillifer, novem Antiani h seu Seniores: qui tertio quoque mense mutantur. Senatorum vero administratio est annua.

Redditus hujus reipubl. sunt, centum decem millium scutatorum annuorum, eruntque centum viginti millium, ubi aliquid æris alieni abolerint, quod variis civibus debetur, ob pecunias mutuo Reipubl. datas, cum usura ducenteſimæ.

Sumtus redditibus par est. si quid supereſt, id muniendæ quotidie urbi impenditur.

Ad potentiam quod attinet, exercitum conficere possunt i * decem millium

lium peditum, è sua ditione; quos vero è Graffignanensi agro ciere possunt, ii accedunt ad duo millia, evaduntque strenui milites.

Vrbs ipsa Lucensis triginta capitum millia capit. libertati conservandæ concordes degunt.

Alitur hæc urbs fere serici texturâ & lanificio. multi mercaturæ operam dant, quorum pars major in Gallia commercia exercet.

Vivunt in regis Catholici clientelâ: à legitimo enim patrono Cæsare nulla est iis auxilii spes. Cum finitimis Genuatibus & Principe Massæ amicitiam colunt. Cum Mutinensi vero Duce sæpe discordes sunt, ob agri Graffignanénsis fines. Magnum Hetruriæ Ducem valde observant, idq; ob metum, vindicante sibi illo in urbem Lucam jus, Reipubl. quondam Pisanæ subjectam. cum eo tribus ex partibus fines communes habent. Rei frumentariæ inopiâ laborantibus, subvenit nonnumquam Hetruriæ Dux, suetum evectionis vectigal solventibus.

Territorio fruuntur satis amplo; quod cum montosum sit, annonæ penuriâ premuntur, nec fere plus colligunt, quam quod in semestre sufficiat. In reliquum semestre prospiciunt sibi

frumento mari advecto, & è Regno Neapolitano.

Cauſiæ & controverſiæ inter cives à quinque Iureconſultis peregrinis deciduntur, quemadmodum & Genuæ. Ii Rota nominantur.

V.

DVX SABAVDIÆ.

INter Italiæ Principes cenſetur Sabaudiæ Dux, quod Taurini, in præcipua Pedemontii civitate, habitat. Imperii etiam Germanici Princeps habetur, quamvis publicis Germaniæ conventibus non interveniat, quemadmodum ejus majores, quo tempore Sabaudiæ Comites vocabantur, facitare ſolebant.

E Ducibus is, qui nunc vivit, eſt quartusdecimus: cujus hic eſt titulus; Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ; Princeps Pedemontii; Saluzziarum, Cevæ, Borzenæ Marchio; Aſtæ Comes; Niceæ Dynaſta.

Annui ejus redditus fuerant ante bellum Gallicum octies centenum millium ſcutatorum. nunc vero omnia ſunt mutata, vaſallis ſumtu in bellum exhauſtis, populo attrito, redditibus Genuatibus atque aliis oppignoratis.

Poten-

Potentia quidem magnus Princeps esset, si diuturna in pace vita obtingeret subditorumq; amorem recuperaret.

Septem Sabaudia equestris ordinis millia fert, ut refert Boterus: qui quidem hac in parte nimio patriæ studio agi videtur.

E Pedemonio aliisque, quas in Italia habet, ditionibus, comprehensis etiam feudatariorum agris, triginta peditum millia scribi possunt.

Sabaudiæ urbes octo sunt, Pedemontii totidem. Nicæa & Villafranca portus, pars Provinciæ Narbonensis sunt. in has jus sibi vendicat Gallus. In portubus his, duæ sunt triremes, eæque male instructæ. eæ ad divi Lazari equites spectant, quorum Magnus Magister est Dux. equitum insigne est Crux viridis, auro argentoq; circumdata. E divi Augustini ordine sunt; estque vetustissimum hoc sodalitium.

Præcipua vero dignitas equestris, quam conferre est in manu hujus Principis, est illa quam Annuntiatam vocant. Horum equitum numerus ad xxxvi accedit, primores omnes è Ducis aula. in exteris qui huc admittuntur, ii Comites sunt aut Marchiones, & inter hos Nemursensis Dux & Galliæ Comes stabuli.

Cum finitimis, Catholico Rege excepto, discors agit omnibus. Galli nondum præteriti temporis offensas concoxerunt. Genuates sæpe ab eo aspere sunt habiti. Helvetii vel prædandi, vel finium suorum ampliandorum sunt cupidi.

Suspectum eum habet Dux Mantuanus, ceu Montiferrato imminentem. eadem est Monachiensis dynastæ conditio, ob dynastiam suam.

Ad generis nobilitatem quod attinet, præterquam quod è stirpe Saxonica est oriundus, multorumque Principum propinquitatibus & affinitatibus subnixus, cum Lusitano etiam & Gallo, tandem uxorem duxit Infantam Catharinam, Philippi II Hispaniæ Regis filiam natu minorem, cum dote quingentorum millium scutatorum. Ex hoc matrimonio, quinos liberos mares sustulit, tres feminas. Filiorum maximo nomen est Principi Pedemontii. estque annorum viginti. Sciendum vero est, duabus ditionibus, Sabaudæ inquam & Pedemontanæ, sua esse singulis juris dicundi tribunalia, quæ Parlamenta vocant, suas cuique leges: nec ferre possunt Sabaudi, in Pedemontio potius ditione minore vivere Principem, quam inter se.

V.I.

VI.

MAGNVS HETRVRIÆ DVX.

FErdinandus Mediceus, Magnus Hetruriæ Dux, Franciſco fratri ſucceſſit: Franciſcus Coſmo patri: Coſmus poſt Alexandri cædem creatus fuit, quem interfecit Laurentius Mediceus A.C.cIↃ IↃ XLVI, annos quinque imperio potitum.

Principis hujus redditus cenſentur decies & quinquies centenis ſcutatorum millibus; eoque ditiſſimus Italiæ Principum habetur, beatiſſimo imperio fruens, quemadmodum peculiari commentario explicabimus.

VII.

DVX MANTVÆ.

DVx Mantuæ, cui nomen eſt Vincentio Gonzagæ (quæ familiarũ Italiæ vetuſtiſſima eſt) originem ducit à Paſſarino Gonzagenſi. Is Mantuæ imperium occupavit Friderici Secundi Imperatoris ævo, à quo titulum accepit dynaſtæ. Qui illum ſecuti ſunt, Marchionẽs ſunt dicti, tandem Duces. Hoc nunc titulo cluent; Dux Mantuæ & Montisferrati; Marchio Gonzagæ. In præſtantiſſimis Italiæ ditionibus cenſeri poſſet Mantuana, ni in multas

multas partes diſſeparata eſſet. cõceſſit minoribus natu illius familiæ Sabloneta, Gunſtella, Novellaria, Sancto Martino, Bercolo, Guazzado, aliis cum oppidis & caſtellis. Hi (quod tamen facere eos par erat) non agnoſcunt Ducem ſuperiorem: quin & dicunt, directe ſe Cæſaris eſſe vaſallos.

Ducatus Monsferratenſis huic ſtirpi ceſſit, per nuptias Frederici ſecundi Marchionis Mantuani, cum ultima herede gentis Palæologæ, unica poſtremi Montisferrati Marchionis filia; eamque ob cauſſam fiduciarium illius ditionis jus Frederico jam memorato Carolus V Cæſar dedit, cum titulo Marchionatus.

Redditus Ducis Mantuani ad trecenties quinquagies ſcutatorum millia quotannis fere accedere creduntur. ducenta millia reddit ditio Monsferratenſis, reliquum Mantuana.

Quæ nunc rerum eſt conditio, ditio Monsferratenſis omnes prope redditus ſuos abſorbet, idq; per loca munita, quæ ibidé exſtruenda curavit Princeps, ſuſpectis ob nimiam vicinitatem Sabaudo & Hiſpanis. nec Monsferratenſibus ex agro Mantuano vires ſubmittere poteſt, niſi tranſito agro Cremonenſi, qui in poteſtate eſt Hiſpani.

Reddi-

Redditvum Mantuanorum pars magna oppignorata eſt per ingentes Principis ſumtus largitioneſque.

Ad potentiam quod attinet, magnam equitum peditumque vim ex utraque ditione cogere poteſt Princeps. Ac equitatus quidem præſtantiſſimus eſt cenſendus, cum ob equorum greges qui in agro Mantuano à Principe aluntur, generoſæ ſtirpis, tum vero etiam quod inſtructus eſt magno nobilium ſubditorum numero, rei militaris ſtudioſorum. non tamen temerè extra ditiones ſuas militem mittet.

Feudatariorum illi magna eſt copia in utraque ditione, cum titulis Marchionum, Comitum, Dynaſtarum.

Non æque hic Dux ſuis carus eſt atque majores, qui, prudentiſſimi cum eſſent, ingentem opum vim acervabant abſque ſubditorum detrimento.

Cæſarianum ſe hic Princeps profitetur, quod à Cæſare quicquid habet ditionum, fiduciario jure habet. Accepit tamen aurei velleris inſigne, penſionem autem à Rege Catholico nullam poteſt impetrare.

Vxorem duxit Leonoram Mediceam, Magni Hetruriæ Ducis Franciſci & Ioannæ Auſtriacæ filiam cum dote ccc millium ſcutatorum. Ex hoc matrimo-

trimonio orti sunt quinque virilis, tres muliebris sexus liberi. Maximus natu Princeps Gulielmus vicesimum ætatis annum implevit: Secundus Don Ferdinandus, Barlettæ Prior, Cardinalatum ambit. ceteri, ex illius gentis consuetudine, rem militarem capessent.

VIII.

DVX MVTINÆ.

DVx Mutinæ Imperii Germanici est vasallus, [k] illius urbis, Carporum, Frignani, Graffignanæ, & Comitatus Rolensis nomine. Castellum Borselli fiduciario jure à Duce Mantuano possidet, cui eo nomine par calcarium præstat.

Ex omnibus his ditionibus paullo amplius centum scutatorum millibus annuis percipit. ex his quatuor millia Imperatori penduntur. extra ordinem vero quinquaginta insuper millia potest percipere, Marchionatuum, Comitatuum, Equestris dignitatis titulis, ambitiosis hominibus vænum datis. ac titulos quidem hos emunt ad rationem duorum in centena, nec eos subditi tantum Ducis ambiunt, verum & Bononienses & alii præterea equestris ordinis viri.

Ingens è pecuniâ cudendâ emolumentum

mentum capit, dum tamen per Longobardiam expendi possit. est enim deterrimæ notæ. Non parum etiam illi ex Iudæis, ditionis suæ incolis, fructus obvenit, ex iisque prædiis quæ sunt in ditione Carpensi, fueruntque Archiepiscopi Bononiensis.

Qui in ditione Ferrariensi, à gente Estensi antiquitus possessa, sunt redditus, ii olim centum quotannis scutatorum millibus censeri solebant. nunc vix ad quinquaginta millia accedunt, atque id per inundationes Padi, per sumtus ministrorum, illaque emolumenta, quæ famulos amicosque percipere patitur Princeps.

Aere alieno premitur octingentorum millium scutatorum, ob quos maxima ex parte fœnus pendit. difficillimum nomen est ducentorum millium scutatorum, quos Genuates demortuo Alfonso Ferrariæ Duci mutuos dederunt. Ii Imperatori fuere numerati, fiduciario in Mutinam & Regium Lepidi juri impetrando. fœnus est sedecim millium scutatorum annuorum.

Duci Margaretæ, Alfonsi Ducis viduæ, duodecim quotannis penduntur scutatorum millia: estque hoc fœnus ducentorum millium dotis. eidem & pensio

penſio quotannis penditur quatuor millium, è legato, quo eam frui voluit maritus quoad ipſa vivet. Doctori Imolæ primo defuncti Ducis Conſiliario novem & ſeptuaginta ſcutatorum millia debentur. Cardinali Aldobrandino in ſupplementum hereditatis Vrbini Ducis uxoris quinquaginta millia. Montes, ſive menſæ nummulariæ Pietatis, quæ eſt Florentiæ, mutuo accepta in uſum Cardinalis Eſtenſis, tunc cum Romam eſt profectus, ... cum uſura quinque ſcutatorum in centenos. Reſiduum dotis, Principi Venuſino eorundem affini debitum, ſex ſcutatorum millia. E bonis ſoli, quæ adſcripta fuere Principi Mirandulano ob conjugis ſuæ Lauræ Eſtenſis dotem .....

Hoc præcipuum eſt hujus Principis æs alienum, quod abolere poſſet, venditis vel omnibus bonis, quæ ſunt in ditione Ferrarienſi, vel eorum parte. Verum, quo minus id facere poſſit, varias ob cauſſas ab Aldobrandinis impeditur.

Dimidiam redditruum ſuorum partem amiſit gens Eſtenſis. Quamvis autem Pontifex ditionem Ferrarienſem occuparit, Duciſſa tamen Nemurſenſis Alfonſi Ducis ſoror, conſecuta eſt in Gallia

Gallia Ducatum Carnutenſem, cum ceteris omnibus ditionibus.

Familia Eſtenſis eſt è vetuſtiſſimis Italiæ una. Fuere primum Marchiones Eſtenſes & Ferrariæ: poſt Duces Ferrariæ, Mutinæ, Rhegii, Principes Carporum, & dynaſtæ Graffignanæ.

Vivit Dux Mutinæ in clientela Hiſpani cum penſione annua duodecim millium ſcutatorum. habet & præfecturam turmæ equitum cataphractorum, qui in Regno Neapolitano aluntur. Hiſpanorum amicitiam curæ habet, qui ni faviſſent, jacturam feciſſet dudum dynaſtiæ Saxoli, de qua lis ei fuit cum Dn. Aenea de Piis ex morte Marci nepotis.

Habet Cardinalis Eſtenſis in clientela ſua Galliam, qui cum Princeps ſit, prodeſſe ſemper poteſt rebus Regis Chriſtianiſſimi.

Ad potentiam hujus Principis quod attinet; quemadmodum dimidio minuti ſunt redditus, ita & minutas eſſe vires conſentaneum eſt. Vivo Duce Alfonſo, cogi poterant in ejus ditionibus quatuor & viginti militum millia. nunc confici poſſunt paulo amplius duodecim millibus. Graffignanéſes Montaniq: in re militari excellunt.

Finitimus eſt ditioni Eccleſiaſticæ,

Duci Parmensi, Mantuano, dynastisque Correggii & Mirandulæ.

In matrimonio habet Donnam Virginiam Mediceam Magni Hetruriæ Ducis Ferdinandi filiam, cum dote centum millium scutatorum. ex ea suscepit quinque virilis, muliebris sexus tres liberos.

Egregia huic Principi animi dona sunt, eoque universim à suis amatur. estque credibile augeri ab eo redditus, Mutinâ majore hominum numero, quam umquam ante, habitatâ.

Adversus Pontificiam sedem in multa sibi jus vendicat, ob ditionem Comaclensem aliaque in Romania oppida olim ab Estensibus possessa.

Multa etiam in Gallia sibi vendicat, contra Ducissam Nemurcensem ipsumque adeo Regem, ob pecunias Regibus à Ferrariæ Ducibus mutuo datas, tunc cum in Italia bella gerebant. Fides est illi apud multos, eo quod lenissimus erat Alfonsus in reddicibus exigendis.

IX.

DVX PARMÆ.

SEdis Romanæ vasallus, est Dux Parmæ, ob Ducatum Parmensem Placentinumque fiduciario jure datos, à Paulo tertio Pontifice, Petro Aloisio

Aloisio Farnesio, (cui successit Octavius. Octavio Alexander, Alexandro Rainutius qui nunc vivit) ea lege, ut quotannis Ecclesiæ tributum pendat, decem millium scutatorum. Obtendunt tamen Hispani, Mediolanensis juris esse Placentiam, eique cessuram deficiente Farnesiorum stirpe. Illud certum est, oriturum inter Pontificem Ducatusque Mediolanensis Rectorem hanc ob rem dissidium.

Hujus Ducatus redditus olim erant centum millium scutatorum annuorum. nunc ducenta millia reddit, eo quod præcipui feudatarii, nimirum Palavicini, Landi, Scotti, & Anguscioli, maximam ditionum suarum partem amiserunt, quæ fiduciario jure à Ducatu Placentino possederant; quorum omnes redditus fisco Ducis accreverũt.

Nundinæ in urbe Placentia institutæ & Lyceum in urbe Parma, aliquid afferunt emolumenti: quin & à Pontifice concessum est Principibus nova à subditis exigere vectigalia. pœnæ etiam multæque pecuniariæ ob æs alienum indictæ, redditus augent; ad hæc, prædiorum emtio, bonorum publicationes, ad fiscum relapsæ; quæ omnia juncta, memoratam summam conficiunt.

Præter hæc possidet Ducatum Castrensem & Rossilionem, ceu feudum Ecclesiasticum. ex iis aliisque castellis Romæ vicinis, percipit annua sexaginta scutatorum millia. verum hisce in ditionibus nullum est Duci pecuniæ cudendæ jus.

In Regno Neapolitano Brutiorumque ditione oppida nonnulla possidet. è ditione Mediolanensi pensionem percipit sedecim millium scutatorum; quæ sorori suæ Duci Margaretæ ejusque heredibus dono dedit Rex Philippus secundus, ob bene ab illa in Belgico bello navatam operam. Habet itidem ab Hispano idem Dux aliam pensionem duodecim millium scutatorum & turmam equitum cataphractorum cum aurei velleris insigni, quemadmodum Mutinæ & Vrbini Duces.

In universum redditus ejus annui trecentis scutatorum millibus censeri possunt. premebatur quidem ante ære alieno, quo jam liberatum credibile est per matrimonium, cum nepte Pontificis Margareta Aldobrandina contractum, muneraque à vasallis subditisque in nuptiarum sumtus collata.

Liberorum illi nihildum est; nec ex hac linea præter Ducem ejusque fratrem Odoardum Farnesium Cardinalem

lem Hiſpanicæ nationis, Romæ patronum, quiſquam ſupereſt.

Princeps hic ſummæ probitatis cenſetur. opinio tamen eſt, Hiſpanis non uſque adeo diligi; quod animadverti potuit in reſtitutione quæ ab Hiſpanis facienda fuit Navariæ, in ditione Mediolanenſi, depoſitis ducentis quinquaginta ſcutatorum millibus, quam tamen Dux abnuit.

Cum ceteris Italiæ Principibus, præſertim cum finitimis, bonam amicitiam colere creditur.

X.

DVX VRBINI.

DVx Vrbini è gente Roborea eſt. Ducatum ut vaſallus Eccleſiæ poſſidet, cui eo nomine annua pendit octo ſcutatorum millia. Complectitur Ducatus urbes ſex; Vrbinum, Eugubium, Piſaurum, San-Leonem, Senas Gallicas, & Forum Sempronii, cum aliis oppidis amplis.

Omnes hæ urbes atque oppida, comprehenſis etiam prædiis, reddun quotannis ducẽta ſcutatorum millia, ampliuſque, ſi quis induſtriam quoque computet. è portu enim Senegallico, per rei frumentariæ evehendæ facultatem, ingentem percipit fructum,

tam è sua quam è finitimis ditionibus misso frumento.

Titulos hos fert; Dux Vrbini, Comes Montisfeltrii, Pisauri Dynasta, & Senarum Gallicarum Præfectus.

Regio est opulenta & fœcunda, atque eo magis, quod oneribus non premuntur subditi, quemadmodum in aliorum Principum ditionibus. populo referta est, ex urbibusque suis potest Princeps cogere ad xx. peditum millia.

Regem Catholicum magna veneratione prosequitur, ejusque in patrocinio degit cum pensione XII M. turma equitum cataphractorum & aurei velleris insigni. Quin & illi se in tuendo obstrinxit Rex quoties res postulabit, obstricto vicissim Duce ad tria, quoties opus erit, peditum millia è suis ditionibus scribenda.

Habet, ut multorum est opinio, in munita San-Leonis urbe reposita vicies centena millia. Vxor illi est, & filius quinquennis. Annum agit sextum & quinquagesimum. arthritide vexatur. Patrueles illi duo sunt, non è matrimonio, Marchio & Abbas Roborei.

Nomen Principi est Franciscus Maria Roboreus, Guidone Vbaldo patre, matre Victoria Farnesia, Octavii Parmensis Ducis sorore. Religiosus, doctus, huma-

humanus, probus habetur, eoque ab omnibus, subditis præsertim, immensùm diligitur.

XI.

MIRANDVLÆ PRINCEPS.

PRincipi Mirandulæ, Concordiæ Comiti & Dynastæ, nomen est Alexander Picus. In matrimonio habet Lauram Estensem, Mutinensis Ducis filiam. Principatum suum fiduciario jure ab Imperatore agnoscit. Ius illi est cudendæ pecuniæ, eo tamen non sine probro utitur, interdicto per aliorum Principum ditiones illius usu.

XII.

MASSÆ & CARRARÆ PRINCEPS.

EST [1] & illi alibi multum divitiarum, in Regno nempe Neapolitano, Genuæ, & in Hetruria, usq; adeo ut redditus ejus æstimentur octoginta scutatorum millibus annuis. sed ære alieno graviter premitur, & emtores quærit.

In clientela degit Regis Catholici, cum annua trium milliuni scutatorum pensione. Fines ei communes sunt cum Magno Hetruriæ Duce, Ge-

nuatibus, Lucensibus, aliisque è familia Grimalda Marchionibus, patriciis Genuatibus. Ditionem hanc à majoribus suis Reipubl. Genuatium ereptam possidet, eoque nullius in eam Principis fiduciarium jus agnoscit. Vivit tamen in clientela Hispaniæ Regis, à quo præsidiariis munitorum locorum, stipendium solvitur.

Monachii & Corregii Dynastæ.

MOnachii [m] & Corregii Dynastæ ditio, sita est in litoraria Genuatium regione, inter Vintimilium & Villam Francam. Monachium portus est, piratarum nonnumquam receptaculum. quæ portum hunc è vicino prætervehuntur navigia, ea, tyrannorum in morem, adigit ut tributum solvant. Vivit in continuo metu Sabaudi Ducis & Genuatium, omnibus parum amatus, omniumque minime subditis suis. eò continenter urbe & arce Monachii clausus agit.

De illius redditibus nihil potest certi affirmari, cum occulti sint. Ditionis ejus territorium angustum est. habet tamen jus percutiendorum nummorum, possidetque in Regno Neapolitano oppida dynastiasque majoribus suis

à

à Carolo V. eo consilio donatas, ut pronos eos haberet rebus suis contra Gallos in bellis Pedemontanis.

Navigia habet piraticæ exercendæ, insequendisque illis navibus, quæ prætervehentes non solvissent debitum tributum.

Genuatium Respub. in animum induxerat pro feudatario illum admittere. malurit tamen ille liber vivere & plenus metus.

Post ejus obitum (qui incidit in annum cIↃ IↃ cv) Hispani munitum illum locum occuparunt, in quo milites sunt ducenti, cives ducenti quinquaginta. filius tamen, quem reliquit annos decem natum, redditibus fruitur, ejusque nomine omnia geruntur.

Dynastæ Ecclesiæ subditi.

MArchio Cortegnæ opes possidet duodecim millium scutatorum annuorum. rei militaris peritus meruit sub Hispano stipendia. nunc Perusii agit.

Comes Bevilacqua Ferrariæ, redditus percipit quotannis duodecim scutatorum millium. Gallorum rebus pronus est: nemini tamen obnoxius.

Æneas Pius Ferrariensis Hispana-

rum partium, Ducis Sabaudiæ ordinis Eques. annua percipit decem ſcutatorum millia.

Pyrrhus Malvezzius Bononienſis, Regis Catholici ſtipendiarius; cui in Sabaudia militavit. annua habet decem ſcutatorum millia.

Adde: Maluezzia familia vna eſt ex antiquiſſimis & nobiliſſimis Italiæ, è qua multi viri illuſtres & rebus geſtis clarì enituerũt; ex illa Pyrrhus ejus nominis III ann. 1569 à Pio pontifice Rege Galliæ ſubſidio miſſus operã ſuam egregie probavit; dein quum eſſet unus quatuor præfectorum (vulgo Colonellos vocant) Eccleſiæ, in claſſe adverſus Turcã meruit, & nobiliſſimæ victoriæ, navali prælio Duce Ioanne Auſtriaco partæ, pars fuit, & poſtilla ſtipendiarius Regis Hiſpaniæ eſt factus.

Iulius Riarius Bononienſis, Magni Hetruriæ Ducis cliens. opes ejus cenſentur decem mill. annuis. in nullius agit ſtipendio.

Filius Comitis Ioannis Pepoli Bononienſis, Caſtellorum dominus. annua percipit decem ſcut. mill. Gallicarum partium.

Romæ multi ſunt; Vrſini, Columnenſes, Contes, ſive Comites, Sabellii, Cajetani, Cæſii, Cæſarini, aliique.

Inter

Inter Vrsinos est Bracciani Dux, cum annuis triginta millium scutatorum redditibus. pensio illi est ab Hispano sex millium.

Dux item Sancti Gemini, qui, si æs alienum dissolvisset, redditus perciperet octodecim millia. Gallorum rebus studet.

Inter Columnenses est Dux Tagliacotii, in Regno Neapolitano Comes-Stabuli, Hispani stipendiarius & subditus, ratione multorum oppidorum, quæ in Brutiis possidet.

Inter Sabellios sunt Dux Montis Lancii, ejusque frater, partium Gallicarum.

Inter Comites (seu Contes) Dux Polæ & Montis Dux, partium Gallicarum.

Inter Cæsarinos, Dux Civitatis Novæ, neutrarum partium.

E Cæsiis, Dux Aquæ Sparsæ & Dux Centi, Marchionis Riarii filius, Gallorum studiosus.

E Cajetanis Dux Sermonettæ, aurei velleris Eques, & Hispani stipendiarius.

Dynastæ sub Veneta Republ.

GEntis Martinengæ, dynastarum Hispanis studentium centum amplius scutatorum millibus opes censentur. Brixiani sunt.

Pisauri

Pisauri à Gorzone xx scutatorum millibus annuis censentur. Gallorum rebus favent.

Gentis San-Bonifacii Comites Veronenses duodecim millibus annuis.

Luca.

REipubl. Lucensi nulli è civibus sunt dynastæ. mercatores tamen sunt, (inter quos primi Bonuisii) quorum opus centum scutatorum millibus æstimantur. Gallis studet. sunt & Cenami centum millium opibus instructi.

Genua.

Reipubl. Genuatium multi sunt dynastæ, opibus potentes. quia vero illorum pars maxima ditiones suas possident in Hispaniæ Regis ditionibus, coguntur Hispanarum esse partium, quantumvis animo sint alieno. sunt tamen inter eos nonnulli liberi; ut Marchio Spinola, cujus opes amplius vicies centenis millibus æstimantur. sunt & multi Cobellini, Auriæ, Spinolæ, aliique, pecunia potentissimi.

Sabaudia.

SVb Duce Sabaudiæ est Don Amadæus de Sabaudia, cui dynastia nulla est.

Dyna-

Dynasta Raconignius septem ingentium locorum dynasta, quæ illi reddunt annua quindecim scutatorum millia. partium Gallicarum.

Dynasta Bobiensis Nicæam versus, duorum & viginti oppidorum dominus cum sedecim scutatorum millibus; è gente Grimalda; partium Gallicarum.

Marchio Evanatozzi è genteSpinola, duodecim millium scutator. annuorum. Hispani cliens. ceteri omnes dynastæ haud magni sunt momenti.

Mantua.

NOn habet Dux Mantuanus sub imperio suo dynastas insignes, exceptis nonnullis è gente Gonzagia, Hispanorum quam Gallorum studiosioribus. Inter ceteros est Marchio Carolus cum fratribus. Marchio Verueus, Comes Iulius Guerrerius, Marchio Castilionæus, & divi Martini. hi duo duodecim millium scutatorum annuos redditus percipiunt. & Marchio quidem divi Martini Cæsaris est vasallus.

Vrbini Dux.

NEc Vrbini Dux sub imperio habet dynastas, qui magni censendi sint.

Quam-

Quamvis autem Marchio Montis nonnulla in Ducis ditione loca possideat; est tamen sui juris dynasta, percipitque annua quindecim millia. Gallorum studiosus.

Hetruria.

IN Magni Ducis ditione sunt Don Petrus & Don Ioannes Medicei: ille paullo ante fato cessit; hic Florentiæ nunc agit. fuit uterque Hispani stipendiarius, ille duodecim, hic quatuor scutatorum millibus. neutri dynastia est. priori in universum erant quadraginta scutatorum millia annua; posterioris redditus non excedunt duodecim millia. Est & Don Antonius Mediceus, cujus redditus annui sunt viginti millium.

Sunt & Salviati, dynastiæ quidem expertes, sed quorum opes trecentis scutatorum millibus æstimantur.

Sunt & Corsini, opulentissimi, quibus in pecunia numerata sunt sexaginta scutatorum millia: dynastia tamen destituuntur. Sunt & alii cives, quorum opes ducentis millibus æstimantur: ii sunt omnes proni in Gallos.

Mutina.

Mutina.

SVb Duce Mutinensi, est Marchio Bentivolus Hispani stipendiarius, cui redditus sunt annui duodecim millia scutatorum.

Parma.

SVb Duce Parmensi sunt Marchio Soregnæ, è gente Lupa, itidem dynasta Bassetti; Marchio Curiæ majoris, è gente Pallavicina; Marchio Salæ, è stirpe Sanseverina; Marchio Colorni, è gente San-Vitalia; dynastæ omnes magno vasallorum numero instructi, quorum singulorum redditus excedunt quotannis duodecim scutatorum millia. omnes Gallicarum sunt partium.

Dynastæ Hispaniæ Regi subditi.

RElíquum est ut de dynastis Hispaniæ Regi subditis dicamus, qui in Sicilia, Sardinia, Regno Neapolitano, & ditione Mediolanensi sunt. primo autem loco de Mediolanensibus verba faciemus.

Marchio Marignani è domo Medicea, annua pẽsione percipit duodecim scutator. mill. partium est Hispanarũ.

Marchio Trivultus vicenum millium

lium ſcutatorum annuorum. is ſub Hiſpano in Belgio ſtipendia meret.

Comes Renatus Borromæus multorum caſtellorum dominus, cum annuis quindecim ſcutatorum millium redditibus. parum Hiſpano favet; ob loca quædam occupata ad lacum Verbanum.

Marchio Caravaggii è gente Sfortia. ejus opes cenſentur duodecim ſcutatorum millibus annuis. parum Hiſpanorum ſtudioſus.

Comes Pyrrhus Vicecomes, cui annua ſunt decem ſcutatorum millia.

Sunt & Corbelloni, quorum opes xxx ſcutatorum millibus annuis æſtimantur.

Aſtaitati, Cremonenſes, ditiſſimi; aliique nonnulli, quibus dynaſtæ non ſunt. iis ferè omnibus exoſi ſunt Hiſpani.

In Sardinia.

SVnt dynaſtæ nonnulli, qui in aciem producere poſſint ducentos trecentoſve ſuos vaſallos. In quibus tamen nihil firmi eſt, quod ducentos jam pluresque annos in Hiſpanorum & linguam & mores omnino tranſierunt.

Regnum

Regnum Neapolitanum.

AD Regnum Neapolitanum quod attinet, multæ in eo familiæ sunt præcipuæ, quales sunt Avallorum, Sanseverinorum, Caraffarum, Caracciolorum, Piccolomineorum, Gesualdorum, Loffredorum, Aquavivarum, Lanfiorum, Spinellorum, Castriottarum, Toletorum, aliæque hujus generis ære alieno mersæ & litibus cum vasallis.

Sunt denique alii infiniti dynastæ, Principes, Marchiones, Comites, non magni momenti, quibus redditus sunt annui quinque, sex, septem, octo, novem, & decem millium scuratorum, per omnes Hispaniæ Regis ditiones diffusi.

FINIS.

IN COMMENTARIVM DE ITALIÆ PRINCIPIBVS THOMAE SEGETHI NOTÆ.

a *Ex hisce ditionibus*] Acutè obſervavit, eruditione multiplici, judicio exacto vir, Ioannes Deanlius, Sereniſſimi Bohemiæ Principis, &c. FRIDERICI HENRICI familiaris, amicus meus, in ditionum harum enumeratione deeſſe unam: niſi forte dicere velimus, ſeparatas eſſe ditiones, Ducatum Spoletinum & Marchionatum Anconitanum, qui tamen unius Legationis ſeu Præfecturæ nomine cenſentur.

b *Montibus quos vocant*] Montes vocant Itali, menſas nummularias pecuniæ egentib⁹ levi uſura mutuo dandæ, nempe ut quotannis, pignoribus fidejuſſoribuſve datis, ob centenorum uſum terna, quaterna, quina, ad ſummum ſena pendantur. qua re tenuiorum rationibus egregiè conſulitur. Montes vacabiles ſunt, in quibus defuncto

functo præfecto, Pontificis Mr. arbitratu alius surrogatur: non vacabiles, qui heredem sequuntur.

c *Arce Sanctangeliana*] Fuit olim Hadriani Imperatoris sepulcrum.

d *Dataria*] Datarii munus, non solet conferri nisi in spectatæ virtutis Præsules. Illi facultas est conferendorum sacerdotiorum, quorum annui redditus, non excedunt ducatos quatuor & viginti. Sacerdotiorum, si quorum ora sunt, (cujusmodi sunt Canonicatus) jus conferendi est penes Pontificem, cui à Datario supplices petitorum libelli porriguntur, quibus multum sua apud Pontificem commendatione prodesse potest. Patet illi quotidie ad Pontificem aditus, signandis supplicum libellis. Solitus erat Datarius supplicum libellis subjungere manu sua; DATVM ROMAE APVD &c. atque ex hac formula magistratus hujus manasse vocabulum creditur. Ab aliquot annis, quibus id munus non nisi Cardinales exercent, desitum ab ipsis est subscribi, aliis demandata hac cura. Qui primus desiit subscribere, fuit Cardinalis Arigonius. Hæc habeo beneficio memorati amici mei Deanlii, in cujus manu est insignis accurateque congestus Commentarius.

De Pontificiæ Reipubl. administratione, Italicè scriptus; qui fortè olim in Latinum versus lucem videbit.

[c] *Ioannes Baptista Montanus*] Huic post merita cum laude in Belgio sub Rege Hispano stipendia, Senatus Venetus summam rem militarem commisit, in qua dignitate obiit.

[f] *Novem numero sunt*] Ego cum Venetiis agerem, plures fuere. Caussa hæc fuit. Exhausto per bellum Cyprium ærario, certa pecuniæ appensa summa, (puto fuisse vicena à singulis ducatorum millia) adsciti fuere ad ordinarios novem divi Marci Procuratores, totidem extra ordinem. Par utrisque fuit dignitas, par potestas: non tamen par existimatio. Hi vocabantur Procuratores ære facti, illi ex merito creati: Italis *Procuratori per dinari*, *Procuratori per dignità*. Defuncto è posterioribus aliquo, sufficiebatur successor, è prioribus non itidem: ita ut arbitrer ad novem denuo redactos, numerum in illa civitate dudum vigentem.

[g] *Montes divi Georgii*] Vide quæ supra de Montibus à me scripta sunt litera [b].

[h] *Antiani seu Seniores*] Hoc exprimit Antianorum vox; cujus usus est etiam

etiam inter Equites Melitenſes, iis ſignificandis qui priores in illum cœtum ſunt lecti.

i *Decem millium*] In Italico eſt, *centum millium.* Quæ ſumma, cum mihi videretur & modum, & fidem excedere, pro tam anguſto agro, mutavi *centum* in *decem.*

k *Illius urbe*] Mirum, omiſſum ab auctore Rhegium Lepidi, oppidum vetus amplum, quod & ipſum fiduciario jure Dux Mutinenſis a Cæſare poſſidet.

l *Eſt & illi*] De quo loquatur fateor non omnino mihi liquere. Suſpicor aliquid deeſſe.

m *Ditio ejus ſita eſt*] Certum eſt, de Marchione Finalis ſeu Finarii loqui auctorem, cujus tamen nulla mentio. Suſpicor & hic aliquid deſiderari.

FINIS.

TRACTATVS
DE
TERRITORIIS, POTENTIA, FAMILIIS, FOEDERIBVS

Principum, Rerumpublicarum, & eorum qui hodiè in Italia rerum potiuntur:

è

Variis & probatißimis authoribus, magnâ curâ & labore collectus.

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoque Viro,

D. CAROLO CÆSARI IVL. CÆS. F., Equiti & I. V. Doctori, atque in Cancellaria Mag. Britanniæ Reg. Assessori dignissimo, affini suo plurimum honorando, I. DE LAET.

HOnorande Domine, *Libellum proximè præcedentem Vir Doctissimus Thomas Segethus Scotus variis accessionibus augere destinaverat, sed à morte inopinâ præoccupatus perficere non potuit. Eum cum amicorum quorundam rogatu ornandum ampliandumque suscepissem, variis collectionibus ex probatissimis quibusque Authoribus, magno labore conquisitis, auxi, atque illustravi; nonnulla etiam jam ante edita ob materiæ convenientiam huc transtuli. Ut jam pene perfectum hic Commentarium de Principibus Italiæ Politicis studiosè sint habiturri. Nihil hic de Veneta Republica à me additum, quia jam peculiarem libellus de illa, ab*

Elzeviriis nostris excusus fuerat. Hanc nostrã opellam tibi inscribere visum sit, non aliam ob causam, quam ut publicè profiterer, me quamplurimum tibi debere. neque enim tanti est, ut eâ gratiam me referre tibi posse confidam; si Deus conatibus nostris annuerit, ampliora in hoc studiorũ genere aliquando daturi sumus. Postremò hoc te atq; illos qui forte hæc lecturi sunt scire velim; eum ætas hæc magno sinceritatis & veritatis detrimento, ferè inter obnoxios aut infensos agatur, me nihil in hac opella aut cujusquam gratiæ dedisse, aut odio in quemquam consultò præteriisse, aut denique secus quam res habet fuisse interpretatum. Vale. Lugd. Batavorum, Idibus Decemb. anni ↀIↃ IↃ C XXVII.

CON-

CONTENTA

hoc libello, in quibus ordinem præcedentis libelli secuti sumus.

I.

DE Pontifice Romano & Ecclesiastico Dominio.

II.

De ditionibus Hispaniarum Regu, Regno Neapolitano & Ducatu Mediolanensi.

III.

Politiæ apud Genuenses descriptio. Ius quod Reges Galliarum sibi vendicant in Remp. Genuensem. ex Thuano.

IV.

Politici status apud Lucenses descriptio.

V.

De Ducatu Sabaudiæ.

VI.

De Magno Ducatu Hetruriæ.

VII.

De Mantuæ & Montisferrati Ducatu.

VIII.

De Mutinæ & Rhegii Duce.

IX.

De Parma & Placentia Duce.

X.

De Vrbini Duce.

XI.

De Mirandulæ Principe.

XII.

Illustris Cardinalis Ossati de Principibus Italiæ judicium.

XIII.

Discursus Politicus de Principibus Italiæ, quo animo & inter se, & erga Regem Hispaniæ affecti sint, & de singulorum potentia: è Gallico anonymo scriptore.

XIV.

Appendix de Corsica Insula.

XV.

De Plombino. è Thuano.

XVI.

De Italia. ex Ioannis Barclaii libro qui inscribitur Icon animorum.

I.

DE PONTIFICE ROMANO ET ECCLESIASTICO DOMINIO.

QVID Principes alii ab Ecclesiastico dominio sperare debeant, vix in communi dici potest, quia Pontifices crebro mutantur, & raro ex una familia duo successive creantur: sed quid ab eo expectare possint, proclive est dicere, quia id & potentia & auctoritate quam apud Catholicos Romanenses obtinet dependet. De authoritate illius Spirituali nihil dicam, quæ pro temporum ratione variat. plurima enim exempla adferri possent Principum etiam eorum qui potestatem illius Ecclesiasticam venerantur, qui illam fortiter spreverunt. Potentia illius temporalis, ut ita dicam, colligitur ex dominii illius amplitudine, opum immensitate, & consiliorum prudentia.

Pontifex sex ditionum in Italia potens est, quæ magna terrarum spatia occupant. Etenim in medio Italiæ imperat urbi Romæ & toti Latio; magnæ parti

parti Etruriæ; Vmbriæ, ducatui Spoletano, Perusię & Bononiæ; Ferrariæ, nec non Flaminiæ, & agro Piceno, & parti Samnii. quibus nuper accessit Vrbini Ducatus. præterquam quod supremum jus habet in Regno Neapolis & Siciliæ, Placentia & Parma; in ditione quoque Radicofanensi; cum territorio quod adusque pontem Centinum porrigitur, & à Florentinis perpetui vicariatus titulo possidetur. Ditiones suas per Legatos regit, qui plerumque sunt Cardinales magni nominis, & raro ipsi in provinciis suis degunt; in cæteris locis gubernatores constituit & Potestates, ut Itali vocant: qui nihil magni momenti decernere possunt, sed referunt ad Consultam, quæ Romæ bis singulis septimanis tenetur, constans è principalibus viris, qui summa prudentia & brevitate causas determinant. Romæ vero sub Papa ipso regimen est penes tria collegia; (congregationes ipsi vocant.) quorum prius de brevibus, alterum justitiæ, tertium de gratiis appellatur. Causæ denique criminales referuntur ad Gubernatorem, qui primum locum obtinet post Cardinales, & plerumque Pontificem comitatur.

Cardi-

Cardinales non possunt esse plures quam LXX, per constitutionem Sixti V, secundum numerum discipulorum Servatoris nostri Iesu Christi. sed pontifices pro arbitrio & per dispensationem nonnumquam numerum hunc excedunt; interdum & multo pauciores sunt. Summopere autem à Principibus Catholicis observantur; qui muneribus & officiis illos sibi propitios reddere conantur, præsertim Nepotes Papæ, qui plerumque omnia apud Pontificem possunt. Inter Cardinales quidam sunt Principes, è summis Europæ familiis nati; quidam ob raram prudentiam, aut doctrinam, in collegium alleguntur. In electione utrorumque Pontifex Principibus plerunque gratificari solet.

Pontifex inter Cardinales partitur quatuor officia summæ dignationis. Quorum primum est magni Pœnitentiarii. qui pensita a culpa confitentium una cum consultoribus suis, pœnitendi modum præscribit. sub isto sunt alii pœnitentiarii minores: qui confitentes audiunt, & aut absolvunt; aut, si res majoris momenti sit, celato nomine confitentium, ad pœnitentiarii supremi congregationem referunt. Secundum munus est vicarii

Papæ,

Papæ, qui curat cultum divinum & regimen Spirituale. Tertium est Vicecancellarii, (nam Cancellarii dignitas penes ipsum Pontificem censetur esse, aut S. Laurentium,) qui plurimos habet ministros sibi subordinatos; nam omnes judices ipsi subserviunt, etiam Auditores Rotæ, qui sunt Prælati magnæ dignitatis, viri doctrina & prudentia, rerumque usu præstantissimi, qui de causis totius Christianitatis cognoscunt. Sunt autem numero XII. Vnus nomine Franciæ, qui ut plurimum est decanus, secundus Germaniæ, tertius Hispaniæ, quartus Arragoniæ, quintus Portugalliæ, sextus Mediolanensis Ducatus, septimus & octavus Bononiensium, nonus Perusiæ, decimus & undecimus Romanorum, & duodecimus Reipubl. Venetæ. Quartum officium est Camerarii, qui multis gaudet prærogativis: habetque sub se quamplurimos ministros, puta Auditores magnę dignationis, Thesaurarium generalem, Commissarium, & XII Clericos, & alios infinitos pene. Atque omnia hæc ministeria venalia sunt, ita ut Auditores & Thesaurarius pro munere obtinędo solvant singuli LXX aut LXXX millia ducatorum.

Sed

Sed relationem jam audiamus incerti, qui sub Sixti V pontificatu scripsit, anno clɔ lɔ LXXXV.

Dominatus, inquit, Romani Pontificis (ut inter Italos) magnus est; & in unum redactus, utrumque mare attingit, fertilis totus, excultissimus, uberrimi agri, omni commoditate refertus, populorum & bello aptorum hominum plenus. Et quoad annonam, solus ager Picenus proximis annis minimo negotio potuit Venetorum imperio plus quam centum millia modiorum tritici submittrare. Patrimonium vero, quod est Viterbii, & adjacentium agrorum territorium, potuit olim Liguriæ, Neapolis, & remotiorum locorum egestati subvenire.

Verum quod spectat ad milites, communis est opinio, in Ecclesiastico statu meliores eos deligi posse, quam in tota reliqua Italia, imo Europa: creditur que ex agro Piceno & Flaminia viginti quinque millia hominum bello idoneorum educi posse: ex Patrimonio vero & Latio fortasse totidem.

Et quanquam dubio procul ex iis regionibus Pontifex minimos colligit reditus, utpote qui oppignorati sunt,

vel

vel creditoribus addicti, nihilominus exploratum est, Pontifici nunquam deesse, modo velit, pecuniam; cernimusque præsentem Pontificem brevissimo annorum curriculo collegisse circiter quinquagesies centena millia aureorum: quos temporis progressu adaugere poterit; magisque posset quam antehac, si renuntiationes beneficiorum cum regressibus admitteret: & adhuc multo magis si officiorum compositiones approbaret: & proverbio usurpatur, Pontifici nunquam defuturos nummos, dum manus illi & calamus aderit. Cum hoc igitur terrarum dominatu, cumque iis viribus quas diximus, dubitandum non est, quin Pontifex, ex seipso vel aliis adhærens, multum commodi aut incommodi cuicunque, præsertim in Italia, afferre possit. Neque desunt exempla, Pontifices minoribus opibus, quam quas modo possident, Pontificiam dignitatem atque auctoritatem contra potentiores Principes sustentavisse, Reges & Imperatores exauctorasse, Imperia & Regna suo arbitratu mutasse: nostrorumque patrum temporibus minime ignotum est, quid efficere potuerit Pontifex Alexander; cujus nutu rex Galliæ, superatis Alpibus,

bus, Italiam invasit, totamque perturbavit: & Pontifex Iulius ejus successor nostræ Reipublicæ (heu nimium) quanta sit Pontificis auctoritas, patefecit. Leo X, & Clemens VII, per plurima bella, quæ suis aut sociorum viribus gessere, magnitudinem suam firmarunt, & Clemens post perpessas calamitates potentior quam ante evasit. Paulus III Ecclesiæ dignitatem & quietem inter duos potentissimos Principes sustentavit auctoritate magis, quá armis: adversus Turcas & hæreticos arma movit: denique posteros suos in eam fortunæ amplitudinem, quam cernimus, collocavit. Iulius III, dum arma movit, Italicam pacem sustulit, totamque propemodum Europam perturbavit: & Paulus IV multos thesauros hosti Regi ademit, memorabile post se relinquens exemplum incommodorũ, quæ ex Pontificis animi propensionibus, nisi ratione regantur, emanare possunt: & Pontifex, quem modo habemus, quanquam nullum hactenus inter Christianos bellum excitavit, neque ullam turbarum occasionem dedit, tamen haud mediocre instat periculum, propter stimulum consiliariorum, quibus circumdatur: quam rem non ignorat

Gallorum, non Catholicus Rex, & plerique alii Principum.

Proinde quemadmodum antiquitus fiebant numinibus quibusdam sacrificia, ut prodessent, aliis, ne nocerent; ita sanum consilium existimandum est, summa ope niti, ut cum Pontificibus (quoscunque mores præ se ferant) bene nobis conveniat: quantum enim pacis & belli tempore utiles sunt favores, & beneficia, quæ bene animati Pontifices possunt concedere, tantum periculosa sunt detrimenta, quæ ab iisdem male affectis timenda sunt: neque unquam defuerunt, qui ad deteriora proclives animos instigent.

Ideo omnes Christiani Principes, sive inter magnos, sive inter mediocres annumerentur, religione ducti, sive aliis de causis, eo sese abjecerunt, ut coram Pontificibus genua flexerint, ejusque pedibus oscula detulerint, omnesque in universum, etsi magni validique, ipsorum amicitiam adipisci conati sint, aut saltem, ne contrarios haberent, operam dederint; & quicunque naturæ & affectibus Pontificis sese prudenter accommodavit, ingens ex ea re commodum, maximumque fructum assecutus est. Quæ res si unquam utilis

utilis aut necessaria deprehensa est, equidem hoc tempore, & hoc Pontifice, perneccssaria est, multoque utilissima. Natura siquidem rigidus est & austerus: cumque præsentem dignitatis celsitudinem non artibus suis, non ambitu, sed solo Dei consilio sibi consecutus esse videatur, autoritatem suam sine timore ullo semper exercuit, profiteturque se non modo omni perturbatione atque utilitatis cupidine esse immunem, sed etiam nihil aliud respicere, quam quod religionem, & quæ eam consequuntur, attingit, fixam animo gerens opinionem cunctos Christianos religione omnia metiri debere.

Verum de temporali Pontificis dominatu institutum sermonem continuantes, primum sese mihi offert Roma urbs. In qua, ut communis fert opinio, trecenta millia hominum, majori ex parte advenarum, reperiuntur: nam quoad indigenas, revera pauci sunt; ambigiturque an quisquam ex illis à vetustis incolis originem trahat. Inter quos aliqui Barones, & Principes, viginti, triginta, quinquaginta millia aureorum, & nonnulli amplius in reditibus possident, omnes tamen fere alieno ære obstricti: quemadmo-

dum etiam plurima pars hominum magis ad paupertatem vergit, quam divitiis affluat, ut neceſſe eſt accidere, ubicunque nulla ars, qua homines ſuſtentare ſe poſſunt, celebratur: propterea, quæcunque ad uſum vitæ pertinent, omnia fere aliunde importantur: præſertim laneæ & ſericæ veſtes, Venetiis, Luca, Florentia, Genua, & Neapoli afferuntur.

Creant Romani ſuos Conſervatores, Tribunos, alioſque Magiſtratus, & Pontifex ipſis ſecundum veterem morem Senatorem concedit; qui ſimul cum Conſervatoribus in Capitolio jus dicit; ubi populus conſilium ſuum habet, ubi ſimiliter Tibicines & Muſici detinentur. ſed hæc ſpeciem potius, quam vim gubernationis exhibent: etenim à tribunalibus illis non niſi controverſiæ inter Romanos, reſque minoris momenti cognoſcuntur. cætera vero & majora quæque coram Pontifice ejuſque miniſtris, Vicario, Gubernatore, & Auditore Cameræ agitantur; & conſilii decreta omnino dependent ex voluntate Pontificis; qui Baronum populique audaciam quotidie deprimendo, abſolutum Vrbis imperium ſolus adeptus eſt.

Peregrini vero ad urbem, tanquam

quam ad communem patriam, ingenti numero convolant. ubi nullius personæ acceptio est, nulla inter nationes constituta discrepantia: omnes brevi temporis spatio in albo civium describuntur, primosque civitatis honores non multo negotio adipiscuntur, & melius fortasse, quam alibi, ingenii industriæque suæ fructum præmiumque consequuntur: denique fortunæ suæ favore & virtutis ductu adspirare possunt ad maximas Aulæ & Ecclesiæ dignitates, imo ad supremum quoque honoris gradum, quem sæpe consecuti sunt sordido loco nati, & ejusmodi homines qui alibi vix potuissent egestatem suam aliquatenus sublevare: præterquam quod rendunt illuc plerique vel religionis ergo, vel clementiæ, vel justitiæ in negotiis suis petendæ, quorum multitudo ingens expeditur quotidie: plerique etiam propter munia & officia sua in aula residere coguntur.

Admirandum quoque est, quo pacto undequaque Romam confluat pecunia, partim propter quotidianos advenarum urbem incolentium sumptus, qui generatim satis ampli sunt, atque profusi: partim ob solvendas earum rerum, quæ impetrantur, ex-

peditiones, præsertim propter Bullas beneficiorum: partim etiam ad quædam aulæ officia, utilitatis vel ambitionis ergo coëmenda.

Regio, quæ spatio triginta mill. pass. Romam ambit, uberrima est, utpote quæ affatim frumentariam annonam carniumque omne genus suppeditet: vini quoque copia non deesset, nisi incolæ, præsertim externi, valetudinis, aut potius deliciarum causa, aliarum regionum vina expeterent: quorum plurima ex regno Neapolitano, Corsica insula, ex litoribus Liguriæ, & ex Gallia advehuntur. Verum hæc regio adeo fertilis, adeo parum incolis repleta est, ut ad agros colendos, & ad messem, vindemiasque, ex diversis Italiæ partibus, & ex Gallia Cisalpina quoque illuc quadragies circiter mille operarii concurrant: qui absoluto opere cum lucello aliquo domum revertuntur; si modo superstites fuerint. etenim magna ipsorum pars extingui solet, vel propter insuetum solis fervorem, vel propter marinorum flatuum malignitatem, qui nunc eo sunt perniciosiores, quo majorem vaporum, qui ex paludibus exsurgunt, copiam afferunt, remoto jam magna ex parte impedimento sylvarum,

rum, quæ prius obstabant. hæc autem omnia (quanquam non ut antea) urbem Romam adhuc insalubrem faciunt. Itaque hæc regio, quæ antiquitus innumerum hominum numerum continebat, modo vacua & desolata est, & in littore, quod Romanum dicitur, à portu Herculis ad Terracinam, spatio centum quinquaginta millium passuum in longitudine, vix & ne vix quidem octo mille habitatores connumerantur.

Tractus ille terrarum, quæ inter Vrbem & Regnum Neapolitanum interjacent, *Campania* dicitur, quemadmodum spatium illud quod ab altera parte Vrbis Florentiam versus extenditur, *Patrimonium* nuncupatur. Marchia Anconitana, & Flaminia, ad mare sitæ sunt, illa contigua Regno Neapolitano, hæc agro Ferrariensi, quibus similiter Bononia finitima est. Vmbria mediterranea loca tenet, regio quidem adeo ferax, ut non solum incolis suis victum suppediret, verum etiam ad Florentinos frumentum transmittat.

Consueverunt præteriti Pontifices harum Provinciarum Præfecturas, & quarundam civitatum gubernacula affinibus suis, tam Ecclesiasticis, quam

Secularibus, & Cardinalibus à se promotis & benemeritis, concredere, ut inde utilitatem ac beneficium consequantur: Nonnulla enim gubernatio, & legatio, tria, quatuor, & usque septem millia aureorum, nonnunquam amplius in annuis reditibus habebat.

Verum hic Pontifex hæc emolumenta omnia ad se traxit, ipseque gubernatores illuc mittit: qua in re haud bene scio, num populi in ratione gubernationis quidquam lucri fecerint: illud verum est, ipsos propter summam in hac re Pontificis diligentiam, quiete vivere, cum antehac magnis perturbationib⁹ jactati fuerint, sævissimas inter se inimicitias exercentes, neque cuiquam odii causa parcentes, extinctis aliquando integris familiarum gentibus.

Sed ex hoc incommodo beneficium illud consecutum est, quia in armorum exercitio sese perpetuo exercentes, videntur magna ex parte strenui & generosi milites evasisse: quos præteriti Pontifices ad numerum usque viginti quinque millium conscriptos delegerunt, & in cohortes distribuerunt, ut exercerentur.

In præsentia Pontifex nullos habet stipendiarios milites, præter ducentos

tos Helvetios, & centum equites levis armaturæ, quibus ſtipatoribus utitur: viginti quinque Helvetios Ravennæ, in agro Piceno viginti quinque pedites, totidemque equites; præter Adrianæ molis præſidiarios milites: item arcis Anconitanæ, aliarumque arcium & turrium, pauciſſimo numero. Bononia ex ſuis reditibus centum habet ſtipendiarios Helvetios, & quinquaginta equites. In iſtis nihilominus civitatibus ac regionibus poſſent, quotquot placeret, milites colligi, & nonnulli equites, quanquam non adeo magno numero: neque deſunt eximiæ virtutis duces: quandoquidem videntur hæ provinciæ non minus quam quælibet pars Italiæ, iis abundare.

Quoad arces, quædam ſunt natura munitæ, ut Orviætum, ſed parum arte adjutæ: hæc enim res non minus ſocorditer, quam pleræque aliæ, in ſtatu Eccleſiaſtico traſtatur. Incepit Pius IV Leoninæ civitatis munitionem (quæ eſt pars Romæ ultra Tiberim, in qua parte eſt Caſtellum S. Angeli, templum S. Petri, palatium Pontificis) ne regina urbium hoſtilibus damnis ſemper expoſita foret: Gregorius Pontifex multum pecuniæ expendit, eandemque partem duabus

pulcherrimis viis exornavit: & præsens Pontifex, quanquam præ se fert munitionis absolvendæ voluntatem, nihilominus eam reliquit hactenus imperfectam.

Verum Ecclesiastici imperii arces, quæ majoris sunt momenti, sunt Neapolim versus, Agnania; Civitas vetus ad mare inferum; Ancona: adhuc omnes ita imperfectæ, ut difficillime restituræ esse videantur minimæ, quæ fieret ab hoste, impressioni. Sunt præterea pleraque alia castella & arces male custoditæ, cum propter minimum præsidiariorum numerum & virtutem, tum propter munitionem & annonæ defectum.

Restat, ut de proventibus dicamus, qui consistunt in vini, olei, farinæ, salis, carnis, ac cæterarum venalium rerum vectigalibus, gabellis, mulctis: subsidio triennali, quod à Paulo III extra ordinem semel imperatum, jam ordinarium ac perpetuum fieri cæpit: subsidio triennali, quod Fratrum sive Monachorum non mendicantium in Italia collegia persolvere consueverunt: collectis ex Hispania, Lusitania, Italiæ; censu S. Petri, quem Reges Neapolitani, Duces Ferrariæ, Vrbini, Parmæ & Placentiæ, aliique dependunt:

Item

Item ordinariis reditibus è Romaniola, Marchia Anconitana, Patrimonio S. Petri, Latio, Vmbria; agris Camerino, Perusino, Bononiensi, Beneventano & aliis regionibus ac oppidis.

His non computo illas utilitates, quæ ex Præfecturis à Pontifice retentis & sibi reservatis percipiuntur: has enim illis sumptibus contrapendo, quos Pontifex in Cardinales quosdam, minus divites, erogare solet.

Neque Annatas beneficiorum, & pensiones pro Bullarum redemptionibus, in rationes refero, quum ex his nihil in Pontificis ærarium inferatur, sed diversis Officialibus sint obligatæ.

Quamvis autem horum redituum non pauci à superioribus Pontificibus alienati fuerint; præsentis tamen Pontificis vigilantia & parsimonia, ita jam sunt revocati, ut sesquimillionem auri fere reddant.

Alienationes hæ sub duobus sunt factæ nominibus & titulis; Officiorum, & Montium.

Officia sunt fere omnia ministeria aulica & his consimilia, quorum est conditio, ut post mortem eius, qui tenuit, vacent, aut etiam tum, quando is ad Cardinalatum evectus fuerit. In his æstimandis Camera ita versa-

tur,

tur, ut pro denis annui reditus, semel centum poscat; unde quinquies centena coronatorum millia confici putantur.

Montes duorum sunt generum: Aut enim morte extinguuntur, qui pro singulis centenis duodecim aureos annuatim reddunt: aut ad hæredes transeunt, & pro centenis septem pendunt.

Præter hæc aliis etiam modis Pontificii reditus obligati & onerati sunt, inprimis ab ipsius Vrbis & aliarum Provinciarum Præfecturis; nec parum in Vrbanos populi Romani Magistratus erogatur. Huc accedunt sumptus domestici in Pontificis familiam, in Helvetiorum & levis armaturæ equitum satellitia; in castelli S. Angeli, Ostiæ, Civitatis veteris, Terracinæ, Orviæti, &c. præsidia; in cantores, cornicines, nuncios, cursores, & ejusmodi famulitium: in eleemosynas, dona & largitiones, aliaque in magnatum aulis usitata.

Hos tamen aliosque fere infinitos sumtus, quos in multa ædificia & magnificas substructionum moles cum æterna nominis sui laude jam ante fecit, & etiam nunc quotidie facit, præsens Pontifex ita moderatur, ut quinque

Ponti-

Pontificatus sui annis quadragies centena aureorum millia, id est, quatuor auri millionēs ærario intulerit.

Licet autem Pontifices mille habeant conficiendæ pecuniæ modos, ex iis duo tamen maxime in promptu sunt. Quorum unus est Cardinalium creatio, à quibus etiamsi nullam paciscatur pecuniam, non modicum tamen è beneficiis, quæ illi ante possederant, percipit emolumentum. Alter est regressuum & aliarum gratiarum concessio, ut olim solebat fieri; sed ad hoc opus est ut Papæ conscientia nonnihil se cogi patiatur.

Verum ut hanc partem de seculari Pontificis imperio concludam: illud ausim dicere, si Princeps aliquis secularis Pontificias obtineret ditiones, easque tanquam rem propriam & hæreditariam administraret, cum paucis Principibus fore comparandum, non tam imperii amplitudine (quanquam & hoc ampliſſimum est) quam regionum præstantia, agrorum fertilitate, incolarum numero, nobilitate civium, ad militiam apta juventute, summa denique rerum omnium abundantia: quarum rerum adjumentis non sua tantum præclare tuerī, sed aliis etiam formidabilis esse possit. Sed plerique omnes,

omnes qui antehac fuerunt Pontifices, non modo de amplificanda & locupletanda ditione Ecclesiastica, sed vix pene dicam, de conservanda ullam susceperunt curam aut cogitationem. Vnde mirum non est, vix ullum in toto Christiano orbe reperiri dominium, quod in tanta rerum omnium copia & ubertate, armis, commeatu, aliisque ejusmodi præsidiis minus sit munitum, ita ut ad prædam cuilibet invasuro expositum videatur.

Hic in Pontificibus digna quædam consideratione occurrunt, utpote quibus causa ad mutandam sententiam nunquam deest, dum Ecclesiæ commodum & dignitatem allegant & prætexunt. Sed & iidem provecta plerumque sunt ætate, ita ut haut procul à morte absint. Quibus defunctis, universa mutatur rerum facies, consiliaque evanescunt, aut alium longe exitum sortiuntur, sic ut in Pontificum amicitia & confœderatione non multum spei ponendum sit. At si quis vice versa dicere velit, eorundem ergo inimicitias vel odia non valde metuenda, longe erraverit. Quicunque enim cum Pontifice bellum gesserit, post infinitos factos sumptus præclare secum actũ putabit, si quod suum est, defenderit:

derit: quum plerique omnes aut religionis quadam veneratione, aut ne nova in se concitent odia, abstineant ab iis, quæ Sedis Romanæ sunt, occupandis, aut occupata restituant, ut ex multis historiis & exemplis videre est: idque nostro tempore fecit Carolus V Imperator, Rex Catholicus, Veneti, qui Serviam & Ravennam Pontifici reddiderunt.

Verum enimvero Pontificia dignitas atque auctoritas magis à spiritualibus, quam à temporalibus dependet. Quoad illas enim, Pontifex Romanus pro universæ Christianæ Reipublicæ capite, divi Petri successore, & Christi in terris Vicario agnoscitur, & habetur, qui in rebus ad fidem pertinentibus errare non possit: à cujus judicio & determinatione ne minimum quidem discedere liceat, qui legum ejusmodi rebus à se latarum vinculo constringere omnes queat: qui in eis etiam, quæ in Conciliis tractata sunt, plenam statuendi & determinandi habeat facultatem: qui denique supra Concilia sit, quorum decreta ipsius sit declarare, infringere, corrigere, & in quibusdam etiam dispensare: in quo tamen Sorbona Parisiensis Theologica, Basiliensis Concilii auctoritatem

sequuta,

sequuta. nunquam absolute voluit assentiri. Jam rerum sacrarum, & quæ sub his comprehenduntur, cura omnis ad Pontificem refertur. Neque vero Sacerdotes modo & Monachi ipsi sunt subjecti, sed ne seculares quidem ab ipsius potestate sunt exempti, non tantum respectu rerum pure spiritualium, sed & aliqua ex parte temporalium, ut judiciorum tam civilium & criminalium, quam rerum matrimonialium, hæreticæ pravitatis, & aliorum enormium scelerum judicia ab ipso, ejusque ministris petantur.

Quin etiam non defuerunt, qui ad demerendam Pontificum gratiam, scribere non dubitarunt, Principes omnes & status seculares Pontificum imperio esse subjectos, eorumque esse de Regum & Principum controversiis judicium ferre, & quid hujus, quidve illius sit, determinare.

Ac si quis penitus cognoscere velit, quanta Pontificis Romani sit auctoritas: tot tantosque præmiorum ac pœnarum, quibus duabus rebus tanquam vinculis, homines in officio continentur, modos perpendat. In pœnis quidem, quæ à Pontificibus infliguntur, non de fortunis tantum & vita, sed de animæ quoque salute agitur, eorum scili-

ſcilicet quibus illi ſacris interdixerint, quouſque Cenſura & Excommunicatione percuſſerint. Remunerandi vero idem plures, quam quiſpiam alius Princeps habet modos, non tantum è bonis temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus, ut Abſolutione, Indulgentiis, Diſpenſatione, aliiſque tam temporalium quam ſpiritualium rerum gratiis, quibus non plebeii tantum homines, ſed maximi etiam Principes opus habent, præſertim ut ad ſuos & ſuorum regnorum uſus, & neceſſitates, Eccleſiaſticorum ſubſidiis, decimis, & id genus exactionibus liceat uti.

Sed inprimis illa trita & latiſſima eſt via, conferendi ſcilicet in alienis regionibus ſive imperiis Eccleſiaſtica beneficia: quæ tamen poteſtas hodie non parum acciſa eſt, & reſtricta, in Germania præſertim, ubi Epiſcopos & Prælatos eligendi Canonicorum Collegia (quæ Capitula vocant) jus habent; exceptis iis, qui Auſtriacæ familiæ imperio ſubſunt, qui ab Archiducibus nominantur. In Francia ſive Gallia ſolius Regis eſt Epiſcopos nominare. Sic etiam Rex Catholicus ſolet in Hiſpaniæ regnis, in India Occidentali, in Belgio, in Sardinia, Epiſcopos nominare; in regno Neapolitano nomina-

tionis jus habet in viginti quatuor Ecclesiis, secundum conventionem cum Clemente VII factam. Sed & Imperatori, quatenus Hungariæ & Bohemiæ rex est, Episcopos in jam dictis regnis nominandi jus est; non Collegiis. Idem in Lusitania & Polonia usurpatur. Nihilominus tamen tanta eorum beneficiorum, quorum ad Papam pertinet dispositio, est copia, ut nemini ex omnibus Christianis Principibus uberior sit materia, & latior, quibus voluerit, benefaciendi campus: sed & qui Collationē ab ipso non accipiunt; Confirmationis tamen diploma impetrare necesse habent.

Non alienum abs re fuerit, de Pontificum creatione hoc loco aliquid dicere, ut quantum fieri potest, omnia breviter, quæ ad materiæ hujus cognitionem pertinent, persequamur. Scire igitur oportet, morem Romani creandi Pontificis varium esse, & diversum ab illo antiquit⁹ usurpato. Primum enim Pontificem, D. Petrum scilicet Apostolorum Principem, Christus ipse, Dei filius, Ecclesiæ fundator, propria auctoritate instituit. D. Petrus Clementem sibi successorem ascivit: cui postea Cletus, & inde Anacletus successerunt. Posteæ cleru[illegible] Romanus, conjunctis

junctis cum populo suffragiis, jus renunciandi sibi Pontificis usurpavit. Inde ab anno CCCLI Imperatores suam quoque interposuere auctoritatem: à quibus illi confirmationem petere solebant, primum depensa certæ pecuniæ summa, deinde sine pretio. Idem per aliquod temporis spatium non nisi præsentibus Imperatorum legatis coronari solebant: ac tandem etiam ipsorum Pontificum consensu, ad retundendam populi Romani insolentiam, universum jus creandorum Pontificũ in Imperatores fuit translatum, qui etiam longo id tempore usurparunt, ac mordicus retinuerũt: adeo, ut quum idem à Pontificibus repeteretur, grave schisma exortum fuerit, quod Christianam rempublicam diu gravissime afflixit. Inter hæc Pontifices quidam ipsi sibi successores elegerunt, quorum electionem deinde Clerus confirmavit. Tandem vero prævalente Pontificum auctoritate, excluso Imperatore & populo, electio penes Cardinales & Primates aliquot ex clero remansit, donec ab Alexandro III in concilio Lateranensi anno MCCLIX, præsentibus CCLXXX Episcopis, decretum fuit, ut is, qui à tertia Cardinalium præsentium parte electus fuisset, pro legitimo Papa

agnoſceretur. Qui mos obtinuit ad annum uſque MCDXVII, quando Martinus V ad tollendum illius temporis ſchiſma electus fuit: poſtea vero Gregorius X in Concilio Lugdunenſi primus conclave illud ordinavit; donec tandem ſucceſſu temporis dicta electio ad eam, quæ hodie uſurpatur, formam eſt reducta.

Solebant autem Cardinales in eligendo Pontifice tribus uti modis, per Compromiſſum, per Adorationem, & per Scrutinium. Nobis illud ſcire hic ſufficiat; omne eligendi Pontificis jus atque auctoritatem penes Cardinales eſſe, qui Pontificis tanquam capitis præcipua membra ſunt, rationis ejus lumina & operum coadjutores. Eis multa à Pontificibus concessa ſunt privilegia, præcipue vero à Paulo II & aliis, ſemiſſis omnium reddituum Sedis Apoſtolicæ, ut ex ſcriptis ſive Actis patet: Sed ejus loco, ſemiſſis Annatarum de beneficiis, quæ à Conſiſtorio conferuntur, aut impetrantur, aſſignata eſt. In honore autem Regibus reſtituuntur. Olim, ut cuſtoſi quidam obſervarunt, non plures fuere quinquaginta trium. at numerus paulatim eo uſque excrevit, ut Pius IV uno tempore ſeptuaginta ſex viderit. Hinc vero

vero tempore (*Sixti V P., quo auctor hujus Relationis Italicæ hæc scripserat, anno* M D LXXXV) sexaginta quatuor sunt: in quibus multi excellentes Iurisconsulti; Theologi vero, qui alicujus nominis sint, pauci.

Collegium hoc Cardinalium Principum studiis in factiones olim scissum fuit, eo maxime tempore, quo Carolus V Imperator, & Franciscus I Galliæ Rex capitali odio inter se dissidebant, &, non de gloria & imperio, sed de salute dimicare videbantur. Quum enim uterque existimaret, magnum sibi ad victoriam consequendam in Pontificis gratia & favore positum esse momentum: illi vero circa Pontificem assidui sint, ejusque consilia moderentur, & quo velint, flectant: mortuo vero Pontifice, novi eligendi habeant potestatem: uterque omnibus modis eo elaboravit, ut quos rebus suis commodos fore arbitrabantur, eorum obsequia multis officiis sibi devincirent. Postquam vero experientia cognitum est, Cardinales quibuscunque constrictos officiis in Pontifice eligendo suas magis quam aliorum sequi utilitates; (ex quo factum sæpe est, ut Pontifices ii renunciati sint, quos illi minime omnium volebant) electionem Pontificis

ficis non à Cardinalium ſibi propenſo favore, ſed unius Dei voluntate expectandam ſibi ſtatuerunt, rati, omnem operam & ſumptus, qui hanc in rem impenderentur, perire. Hinc Galli primum curam hanc omiſerunt: & Rex Catholicus diu ab omni largitione in Cardinales abſtinuit; poſtea vero paucos quoſdam certis penſionibus ſibi obligavit, numero circiter, cum ſibi ſubditis, ad viginti quinque. Nec Gallis difficile foret ad ſuas partes quoſdã hac ratione adjungere; ſed prudentius forſan faciunt, quod tale nihil præ ſe ferunt, ſed in univerſum omnibus Cardinalibus favorem ſuum probare ſtudent. Imperator ſex aut ſeptem habet ſibi obnoxios, quos tamen ille nihil impedit, quo minus libere omnia agant, ſuoque munere fungantur. Inde fit, ut hodie principales factiones inter ipſos Cardinales vigeant, quamvis magnus Hetruriæ, ſive Florentiæ Dux, non ignarus, quantum ſua interſit, Papam habere cui tuto fidat, aut certe non diffidat, nihil eorum omnium intermittat, quibus ſe putat id conſequi poſſe: & cum in finem octo vel decem Cardinales habeat confœderatos.

Audiamus porro quæ Illuſtriſſ. Joannes Delphinus Sereniſſ. Reip. Venetiæ

ad

ad Clementem VIII Legatus retulerit domum reversus.

Sedes Apostolica ex omnibus provinciis suis & ditionibus annuatim percipit decies octies centena millia coronatorum, & tamen, quæ vix invenient fidem, præter ingens fœnus quod montes postulant, tantum expenditur in familiam Papæ, in Cardinales, inque infinitos pene officiales Curiæ, aliaque, ut vix sub finem anni ex tam immensa summa centum millia ducatorum fiant reliqua; Quare quum sumtus extra ordinem faciendi sunt, diversæ instituendæ sunt pecuniæ conquirendæ rationes; quales sunt: venundata officia vetera multiplicare, instituere nova; augere pretium expeditionum in officiis jam collatis; non necessarios ministros abdicare; curialium sumtum minuere; novos Montes erigere tam vacabiles quam non vacabiles; denique nova onera invenire, aut vetera augere; (quanquam postremi hi modi difficulter à populo Romano tolerarentur) Magnum quoque emolumentum percipere possunt è permissione Capitulorum, & dispensationibus in secundo gradu; quibus modis Sixtus V prudenter & feliciter usus reditus annuos incremento du-

centorum mill. coronatorum auxit; & supra CL millium expensarum onere levavit; ut mirum cuique videatur, Pontificem illum vulgo accusari quod reditus Ecclesiæ alienaverit ut aurum in Castellum inferret; ille enim quatuor milliones & dimidium in auro reliquit; & ipso superstite vix tertia pars sumtuum fiebat, qui hodie fiunt; Tanquam hodie non pejora fierent; nam reditibus Ecclesiæ oppignoratis, & æs fœnori sumitur, & prodige admodum profunditur: quodque ratione vacare videtur, quum usuras solvat Pontifex decimas, castella subditorum emit, è quibus exigui fructus, puta unum & dimidium aut saltem duo ducat. in singula centena percipiuntur; nulla necessitate, quum castella hæc in ditione Ecclesiastica cõstituta sint. Alii & hoc mirantur, quod Pontifex in hac ærarii inopia, & emendi libidine, non potius manum admoveat thesauro in Castello S. Angeli condito, quam sedem tam ingenti fœnore oneret, Sed Pontifex numquam induci potuit ut trecenta aureorum millia quæ reliqua sunt promerentur; quum ægerrimè CL illa aureorum millia, ultimum subsidium quod in Hungariam missum fuit, inde promi

mi consenserit. Mirum autem est unde tanti sumtus potuerint fieri. nam, ut Hungaricam taceam, in expeditione Ferrariensi, & Castelli ibidem ædificatione, aliisque quæ eodem pertinent supra duas milliones expensas fuisse, satis constat; ut è donativis & oppignorationibus reliquum provenisse necesse sit. Addam tamen unum quod verissimum est, duobus hisce annis octies centena millia coronatorum ex exactis, (*Spogli* vocant) annumerando Archiepiscopatum Toletanum, in ærarium illata, & quidem è solis Romanis beneficiis supra centum millia.

Vires militares, quas Pontifex continuo alit, perexiguæ sunt. nam præter cc Helvetios corporis illius custodes; & alam equitum; tantum Dccc Corsi stipendarii supersunt; quorum numerus etiam longe minor censetur. Quas vero copias, ubi necesse est, in suis terris possit concire, è nuperis delectibus proclive fuerit æstimare; neque dubium est, quin sine ullo agrorum & culturæ dispendio, decem mill. peditum & mille equites cogere possit, militiæ apprime idoneos; licet equites fere velites sint, verum Italorum longe optimi.

II.

De Regno
NEAPOLITANO.

CVncta quidem Imperia & Regna varias sæpe vicissitudines passa sunt, nullum autem plures quam Regnum Neapolitanum, sive dominii ipsius, sive dominorum mutationem spectes. Cumque pleraque Regna & Respublicæ, suo dominationis curriculo absoluto, alia alteri regno sive dominio initium dederint, alia crebris hostium invasionibus diu exagitata, aut libertatem penitus amiserint, aut pristinam postliminiò recuperaverint amplitudinem: Hoc Regnum jam toties excidio suo superfuit, & in perpetua licet servitute, ex hostium suorum potentia, aliquam invenit libertatem. Id primum sub Apuliæ & Calabriæ Ducibus fuit, & anno demum cIↃ cXXV in regnum versum est, & utriusque Siciliæ Regnum nuncupatum. Id Rogerio primo datum, qui cum ante Siciliæ Comes diceretur, post Ducatum hunc Gulielmo ereptum, qui Constantinopolim profectus erat, ut Alexii Imperatoris filiam

in

in uxorem acciperet) ab Anacleto, ut volunt, Antipapa, primus utriusque Siciliæ Rex est coronatus. Rogerii hujus posteri hoc Regnum possedere usq; ad Guilielmum cognomento Probum. Quo absque legitimis hæredibus defuncto, Barones Regni naturalem quendam ipsius nepotem, nomine Tancredum, in Regem coopiarunt; Clemens vero III, regnum ad Ecclesiam devolutum asserens. (nam Robertus Guiscardus anno circiter à Nicolao II P. R. Dux Apuliæ & Calabriæ creatus, universam ditionem suam, publico jurejurando, Ecclesiastico dominio subjecisse dicitur) civilem bellum in Apulia movit. Et post hunc Celestinus III Henrico Sexto Imperatori Regnum hoc in feudum concessit, eique Constantiam Tancredi sororem Abbatissam S. Mariæ Panormi, voti indulgentia facta, in uxorem tradidit: atque ita Regnum à Normannis ad Suevos translatum: Hujus Filium Fredericum II Imperatorem, Innocentius IV Imperio & Regno Neapolitano privare conatus est, & Æmundo filio Henrici Regis Angliæ concessit: Cui licet Alexander IV investituram, ut vocant, per Legatum misisset, cum sperata ex Anglia auxilia minimè procede-

cederent,& Frederici II liberi jam magnam Regni partem occupassent, Vrbanus quartus Alexandri successor, idem in Carolum Andegavensem Provinciæ Comitem, & Ludovici, cognomento Sancti, Gall. Regis, fratrem trãstulit; qui à Clemente IV deinde inauguratus fuit, his potissimum conditionibus, ut posthac nullus Neapolitanorum Regum, Imperatoriam dignitatem ambiret, aut oblatam reciperet, neque Lombardiæ aut Hetruriæ negotiis se immisceret,& feudi nomine Ecclesiæ quotannis octo millia ducatorum & album equum penderet. In domo dein Andegavensi Regnum permansit ad Ioannam primam Roberti R. neptem, quam Vrbanus VI, quod Clementis VII Antipapæ electioni favisset, excommunicaram Regno privavit, eique Carolum Durrachii principem, ex Roberti Regis fratre oriundum, substituit. post quem duo alii ex eadem familia successerunt, Ladislaus Hungariæ Rex & Ioanna altera, sed nõ sine variis seditionibus & bellis. Nam cum Ioanna illa prima, consentiente Clemente Antipapa, Ludovicum Andegavensem Regis Franciæ II genitũ, hæredem suum nuncupavisset,& is sub Barii mœnibus à Caroli Durrachini mili-

militibus profligatus & cæsus fuisset, ab eodem Clemente filius ejusdem Ludovicus, in Regem inauguratus fuit; qui tamen sub Ladislao & Ioanna frustra aliquoties regnum adire conatus, voti irritus decessit. Martinus porro V R. P. Ludovicum hujus præcedentis Ludovici filium è Gallia evocavit, & Ioannam II, quod ipsi in bello quod cum Braccio Montone Pontifex gerebat, minime adfuisset, regno indignam judicavit. Illa autem orba & de Regni amissione anxia, Alfonsum Arragoniæ Regem, qui tum in Sardinia erat, sibi adoptavit & hæredem Regni instituit: qui cum Neapolim venisset, & insigni ingratitudine Reginam in carcerem detrudere moliretur, illa profugit; & vindictæ cupiditate ardens, Alfonso abdicato, Ludovicum supradictum hæredem adscivit, & illo vita functo, Renatum Ludovici fratrem: Illa autem defuncta, Ferdinandus VI Neapolim expugnavit, & regni investituram ab Eugenio P. R. impetravit; ita Regnum ad Catalaunos devenit; qui similiter cum innatæ populorum instabilitati ac seditionibus impares essent, ejecti fuerunt; & post Frederici Regis fugam, Ludovicus XII, Galliar. Rex, & Ferdinandus, Hispaniæ regnum inter

inter se divisérunt. Quo pacto autem hæc res gesta fuerit & quis illius exitus fuerit, operæ pretium est, ex Iacobo Aug. Thuano audire. Post irritam (inquit) Caroli VIII in Italiam expeditionem, quæ tamen funestissimo Italiæ exemplo externis principibus ad invadendas illas otio & alta pace gaudéteis provincias iter aperuit, metus Gallici nominis, quod omnia paullo ante terrore compleverat, aliquantum conquievit. nam Ferdinandus Ferdinandi nothi nepos, Alfonso patre à regni administratione ultro se abdicante, ut præteritæ sævitiæ invidiam eluéret, brevi tempore amissa pæne momento recuperaverat. & quamvis omnes merito metuerent, ne denuo Carolus, uti rumor erat, eandem expeditionem tentaret: tamen Italorum principum ante dissidentium recens fœderatio, atque inprimis Ludovici Sfortiæ, qui Carolo in Italiam veniendi auctor & adjutor fuerat, à partibus nostris defectio, ad hæc Tarrensis pugnæ exitus dubius, (nam sibi in ea vel victa pars victoriam arrogabat,) pristinum metum magna ex parte minuebant. sed mortem Ferdinandi victoris secuta paullo post mors Caroli moram tantisper bello incepto interposuit, donec Ferdi-

Ferdinandus Hiſpaniæ Rex Gallos, inſtigante Alexandro VI, in eam curam intétos, interventu ſuo ad illud quamprimum ſuſcipiendum incitaret. is recepto ante ſeptennium Perpiniano & Ruſcinonenſi Comitatu, ictum cũ Carolo in Italiam profecturo fœdus mox cavillatus fuerat, ſummiſſo in auxilium Arragoniis patruelibus Ferdinando Conſalvo Cordubenſi, qui poſtea magni Ducis nomen meruit, & ipſe cum infeſto exercitu contra fidem datam in Septimaniam deſcenderat: poſtremo rebus proſperè à Conſalvo in Calabria & Apulia geſtis, conciliataque ſibi, uti rebatur, populorum illorum benevolentia, conſilium mutavit, & pæne alienato à patruelibus animo cum Ludovico XII, qui Carolo in regnum ſucceſſerat, clam novum fœdus percuſſit de regno Neapolitano occupando, his conditionibus, ut inter ipſos dividereтur, & Neapolis regni caput, Campania, Samnium Gallo cederet; Hiſpano Apulia & Calabria. auxit Ferdinandi perfidiam, quod cum Fridericus Ferdinandi nuper mortui patruus & hæres, rem ſibi cum Gallo tantum futuram ſperaret, Conſalvum cum exercitu ex Hiſpania venientem benigne in Sicilia exceperat, & in Calabriam

subsidio, uti putabat, contra Gallos deportandum curaverat; Consalvo contra rumores, qui de occulta illa conventione jam ubiq; spargebantur, etiam post publicatum Romæ fœdus, affirmante, nihil sibi aliud in mandatis dedisse Ferdinandum, quam ut Friderico & regni saluti consuleret. quo factum est, ut Fridericus, qui nihil sibi ab Hispano metuebat, à duobus potentissimis regibus eodem tempore præter opinionem circumventus facile opprimeretur. Exuto summa patruelis infamia Friderico, restabat Ferdinandus dux Calabriæ; cui pater in Galliam abiens clam mandata dederat, ut se in Tarentinam arcem, cui præfectum Potentiæ ducem imposuerat, reciperet, & ibi tamdiu moraretur, dum ne se necessitate præverti sineret, quo minus dedendo arcem, quo vellet, libere abire posset. Nam Fridericus odio patruelis in Gallia fortunas omneis suas collocaverat, & ut eo filius se sequeretur, si Italiam relinquere cogeretur, imperaverat. verum Consalvus Manfredonia captâ, cum Tarentinam arcem his condicionibus accepisset, ut liberum esset Calabriæ duci, quo vellet, abire, idq; solemni jurejurando firmasset, arce deditâ caussatus novum Ferdinandi impe-

lio, uti putabat, contra Gallos
randum curaverat; Consalvo
a rumores, qui de occulta illa
entione jam ubiq; spargebantur,
post publicatum Romæ fœdus,
nante, nihil sibi aliud in mandatis
le Ferdinandum, quam ut Fride-
& regni saluti consuleret. quo fa-
est, ut Fridericus, qui nihil sibi
spano metuebat, à duobus poten-
is regibus eodem tempore præter
ionem circumventus facile oppri-
tur. Exuto summa patruelis infa-
Friderico, restabat Ferdinandus
Calabriæ, cui pater in Galliam
clam mandata dederat, ut se in
arcem, cui præfectum Po-
ducem imposuerat, reciperet, &
ndiu moraretur, dum ne se ne-
præverti sineret, quo minus
do arcem, quo vellet, libere abire
Nam Fridericus odio patruelis
a fortunas omneis suas collocat
& ut eo filius se sequeretur, si
relinquere cogeretur, impera-
verum Consalvus Manfredo-
, cum Tarentinam arcem his
onibus accepisset, ut liberum
Calabriæ duci, quo vellet, abire,
mui jurejurando firmasset, ar-
a caussatus novum Ferdinandi
impe-

imperium, cui parere necesse l
Calabriæ ducem contra fidem
sub custodia in Hispaniam mi
non diu inter victores reges n
societate concordia. nam cu
ctigali, quod in Apulia ad fin
nii ex quadrupedum transitu
tur, inter parteis ambigeretur
tis ultro citroque tractatibus r
fectum fuisset, tandem ad ar
tum est: quorum de eventu
reretur Ferdinandus, Philipp
strium Maximiliani Imperato
nerum suum & heredem, c
mus ad pacem & otium natu
rebatur, induxerat, ut fide a
Galliam ad Ludovicum tra
de componendis dissensioni
gno ea, qua dixi, occasione ex
rege ageret. sed cum intere
ad Terram-novam in Brutii
Hispanorum novis copiis
Cardonæ, & alteris mox d
nuelis Benavidæ & Antonii
Hispania missis paullum recr
lorum contra longa & infel
obsidione attritæ inde anin
rent, hinc nostris adimerent
vus conditionibus de conco
Ludovicum & Philippum
solemni jurejurando firma

noluit.nec conceptæ de rerum prospero successu opinioni eventus defuit. nam mox Albinii exercitu ad Seminaram in Calabria deleto, ipsoque Albinio cum præcipuis belli ducibus capto: & paullo post in Apulia re male gesta ad Gerionem,ac Ludovico Armeniaco Nemorensi duce in pugna desiderato, Consalvus victor à Neapolitanis exceptus est; moxque ad Lirim commisso cum exercitus Gallici reliquiis ingenti prœlio,victor Cajetam recepit,&, Gallis totius regni possessione dejectis, Hispanorum res hactenus dubias in posterum stabilivit. ita Ferdinandus grande perfidiæ suæ lucrum tulit, & consilium de invadendo regno contra patruales,quod jampridem animo agitatum profunda dissimulatione texerat, occasione oblata ad exitum feliciter perduxit. At Ludovicus tot acceptis cladibus, cum non minus pudore quam dolore angeretur, nec inultis tot injuriis honeste aut secure cum Hispano transigere posset, inducias in annum pepigit, ut tantisper, dum fortuna de rebus suis decerneret, suspensis de bello consiliis eventum opperiretur; cum ecce commodum de collocanda in matrimonium Ferdinando Germana Foxia sororis F.,quæ honesta

pacis

noluit. nec conceptæ de rerum prospe-
ro successu opinioni eventus defuit.
nam mox Albinii exercitu ad Semina-
ram in Calabria deleto, ipsoque Albi-
nio cum præcipuis belli ducibus capto:
& paullo post in Apulia re male gesta
ad Gerionem, ac Ludovico Armeniaco
Nemorensi duce in pugna desiderato,
Consalvus victor à Neapolitanis exce-
ptus est; moxque ad Lirim commisso
cum exercitus Gallici reliquiis ingenti
prœlio, victor Cajetam recepit, &, Gal-
lis totius regni possessione dejectis,
Hispanorum res hactenus dubias in
posterum stabilivit. ita Ferdinandus
grande perfidiæ suæ lucrum tulit, &
consilium de invadendo regno contra
patruelis, quod jampridem animo agi-
tum profunda dissimulatione texe-
rat, occasione oblata ad exitum felici-
ter perduxit. At Ludovicus tot acce-
pis cladibus, cum non minus pudore
quam dolore angeretur, nec inultis
tot injuriis honeste aut secure cum
Hispano transigere posset, inducias in
annum pepigit, ut tantisper, dum for-
tuna de rebus suis decerneret, suspen-
sa de bello consiliis eventum opperi-
retur; cum ecce commodum de collo-
cuda in matrimonium Ferdinando
germana Foxia sororis F., quæ honesta

pacis inter principes contrahendæ ra-
tio esse solet, actum est. nam paullo
ante Isabella Castellæ regina Ferdinan-
di uxor, quæ marito regni Castellæ
procurationem testamento legaverat,
è vivis excesserat: & Philippus Isabellæ
gener, ad quem materni regni succes-
sio pertinebat, testamentum socero in
dubium revocabat. itaque Ferdinan-
dus, ut hinc res suas in Italia stabiliret,
inde se adversus generum muniret, fa-
cile in novas nuptias consensit his le-
gibus, ut dotis nomine jus in ea regni
Neapolitani parte, quæ in divisione
Ludovico obvenerat, Germanæ ab
avunculo cederetur, ita ut si ante Fer-
dinandum moreretur, ea pars marito
accresceret; sin marito ante sine liberis
mortuo decederet, ad Ludovicum re-
diret. nec certior in eo fœdere conser-
vando quam in reliquis Ferdinandi fi-
des fuit. nam contra dotales tabulas
ipse mox se totum regnum ex succes-
sione Alfonsi I Ferdinandi spurii pa-
tris, excluso Germanæ uxoris jure, pos-
sidere palàm profestus est.

Hisce itaque artibus Neapolitanum
regnum ad Hispanum pervenit. nunc
de ipso Regno pauca dicamus. Orien-
talis Italiæ pars (inquit Bernardus Sac-
cus) regno Neapolitano adscripta, ubi

Apuliæ & superioris Calabriæ opes late patent, majore æstu ac siccitate urgetur, quam Campania & Latium, quia Orienti propinquior est, præcipuè Apulia, quæ magis sinuoso littore orientem solem æstivum & hibernum excipit, quam Calabria: & Aquiloni quoque ab Adriatico patet, quod ejus siccitatem interdum auget. Vtraque vero mare ab Oriente & montium rupes ab Occidente habet, qua ex re orientis solis radii in montium altitudinem inflexi similem caloris repercussionem dant, sicuti in Meridionali diximus. Quid, quod etiam in Apulia montium cornua brachiave in Orientem extenta longe majorem caloris rejectionem in ejus planitie excitant, quam in Latio? sole videlicet in Meridiem ascendente, ac matutino æstivoque calore cum Meridionali æstu per montium reverberationem conjuncto & continuato: à qua continuatione, æstuosa sitibundaq; fit Apulia, universa planitie ante finem mensis Maji pene exusta. Additurque aliud siccitati malum, innumerabilium muscarum infestatio; à qua re manasse populare proverbium constat: Quisquis inferni pœnas subire tentat, æstatem in Apulia, hyemem circa Aquilam agat. Flanteque æstate

in

Apuliæ & superioris Calabriæ oper
patent, majore æstu ac siccitate urg
tur, quam Campania & Latium, qui
Orienti propinquior est, præcipue A
pulia, quæ magis sinuoso littore orie
tem solem æstivum & hibernum exci
pit, quam Calabria: & Aquiloni quo
que ab Adriatico patet, quod ejus fr
citatem interdum auget. Utraque ver
mare ab Oriente & montium rupes a
Occidente habet, qua ex re orient
solis radii in montium altitudine
inflexi similem caloris repercussione
dant, sicuti in Meridionali diximus
Quid, quod etiam in Apulia montiu
cornua brachiave in Orientem ere
ta longe majorem caloris rejectione
in ejus planitie excitant, quam in La
tio? sole videlicet in Meridiem asce
dente, ac matutino æstivoque calo
cum Meridionali æstu per montiu
reverberationem conjuncto & conti
nuato: à qua continuatione, æstuo
sitibundaq; fit Apulia, universa plani
ie ante finem mensis Maji pene exust
additurque aliud siccitati malum, in
umerabilium muscarum infestatio
ua re manasse populare proverbiu
familia de Capua.

Princeps Francavillæ, Marchio Va
& Piſcariæ, &c. è familia d'Avalo.

Princeps Melfi, è familia d'Oria. A
dreas Auria hunc titulum primus a
cepit à Car. V Imp. anno 1531.

Princeps Meliti, è familia de Silva

Princeps de Monte Sarchio, ex fa
milia d'Avalo. hunc titulum primu
ccepit Alfonſus d'Avalo, Marchio d
'aſto, anno 1532.

Princeps della Riccia, & Comes
ltavillæ, è familia de Capua. hic tit
us primum datus fuit anno 1596.

Princeps Molfettæ, Marchio de Spe
io, Comes de Giovenazzo, è familia
onzaga.

Princeps montis Albani, & Du
rnandinæ, ex familia de Toledo.
mus hanc dignitatem accepit Pe
s Toletanus anno 1593.

Princeps della Roccella, & Marchio
elli veteris, è familia Caraffa della
na.

Princeps Scaleæ, è familia Spi
a.

Princeps Sanſeveri, Dux Turris
majo-

majoris, & marchio Caſtelnovi, è familia de Sangro.

Princeps dello Sciglio, Comes Sinopolis, & Nicoteræ, è familla Ruffa. primus hunc titulum accepit Fabritius Ruffus, anno 1578.

Princeps Squillaces, è familia Borgia.

Princeps Stigliani, Dominus Sabionetæ, Dux Mondragon, Comes Fundorum, Carinolæ & Alcani, è familia Carrafa.

Princeps de San Bono, & Marchio Buchianici, è familia Caracciola.

Princeps Sulmonæ, & Comes Potentiæ, è familia de Lannoy. primus hanc dignitatem à Carolo V Imp. anno 1526 accepit Carolus de Lannoy.

Princeps Venozæ, & Comes Conzæ, è familia Geſualda. quam dignitatem primus accepit Ludovicus Geſualdus, anno 1561.

Dux Acerenzæ, Marchio Galatenæ, è familia Pinella. quæ originem ducit ex republ. Genuenſi. hanc dignitatem primus accepit à rege Philippo Galeacius Pinellus anno 1593. cui ſucceſſit filius Coſmus, Marchio Galatenæ.

Dux d'Andri, & Comes de Ruvo, è familia Carrafa.

Dux Airolæ & Comes Biccari, è familia

milia Caracciola. primus hunc titulum accepit Ferdinandus, anno 1581.

Dux d'Arce & di Sora, è familia Boncompagna.

Dux d'Atri, Marchio Aquævivæ, Com. Guilianoræ, è familia Aquaviva. titulum hunc primus accepit Andreas Matthæus, anno 1446.

Dux Bovini, è familia Ghevara.

Dux Bojani, è familia Caracciola Rossa.

Dux Castelli de Sanguine, & Com. Triventi, è familia d'Afflitto.

Dux di Cerce Maggiore, è familia Carrafa.

Dux di Cività di Penne, Parmæ & Placentiæ, è familia Farnesia.

Dux Eboli, è familia Grimalda, originis Genuensis.

Dux Forliti, è familia Caracciola.

Dux Gravinæ, è familia Vrsina.

Dux Matalonis, Marchio Arienzi, & Comes Cerriti, è familia Carrafa.

Dux Martinæ, Comes Bocini, è familia Caracciola.

Dux Montalti, Comes Belcastri, è familia d'Aragona. quæ originem repetebat à regibus Neapolitanis, sed defecit in Antonio, qui obiit anno 1584, unica relicta filia Maria, quæ nupsit N. Moncadæ in Sicilia.

Dux

Dux de Montelione, Comes Borrelli, & S. Angeli, è familia Pignatella.

Dux de Nardo, è familia Aquaviva.

Dux Noceræ, Comes Suriani, &c. è familia Carrafa.

Dux de Popoli, è familia Cantelma: quem titulum primus accepit Ioſephus, anno 1557.

Dux Sagnani, è familia Caracciola.

Dux Sanctæ Agathæ, è familia Coſcia.

Dux Seſſæ, ex familia de Cordova & Cardona.

Dux Soræ & de Arce, è familia Boncompagna.

Dux Tagliacozæ, Comes Albæ, è familia Columna.

Dux Termoles, Marchio Coglioniſi, è familia de Capua.

Dux de Turſa, è familia d'Oria.

Dux de Vietro, è familia de Sangro.

Dux d'Aquara, è familia Spinella. hunc titulum conſequutus anno 1598.

Marchio d'Ajello & de Carrara, Princeps Maſſæ, è familia Cybo Malaſpina, originis Genuenſis. hanc dignitatem primus accepit à Philippo II R. Hiſpan. Albericus, anno 1569.

Marchio d'Anſe, è familia Carrafa.

Marchio d'Arena, è familia Concublet da Baviera. originis Anglicæ.

Marchio d'Arpaja, è familia Guevara.

Marchio de Bovalino, è familia Loffreda.

Marchio de Bitetto, è familia Carrafa.

Marchio Brienzæ, è familia Caracciola.

Marchio de Binetto, è familia Caracciola. primus hanc dignitatem consecutus fuit Balthasar, anno 1597.

Marchio Bracigliani, è familia Miraballa. primus hanc dignitatem fuit consecutus à R. Philippo, anno 1597, Cæsar Miraballus; cui successit filius Alexander.

Marchio Campaniæ, & Dominus Monaci, è familia Grimalda.

Marchio Capurci, ex familia Pappacoda.

Marchio di Casa à l'Albero, ex familia Caracciola de Leone.

Marchio Campolataris, è familia de Capua.

Marchio Cerchiaræ, è familia Pignatella.

Marchio de Ciro, è familia Spinella.

Marchio Celenzæ, è familia Gambacorta.

bacorta. primus hanc dignitatem accepit Carolus Gambacorta, anno 1598, à R. Philippo.

Marchio Corigliani, è familia delli Monti.

Marchio Fuscadi, è familia Spinellorum.

Marchio Genzani, è familia del Tufo.

Marchio Grottolæ, è familia Sances.

Marchio Grotteriç, è familia d'Ayerbe; quæ originem trahit ex Arragonia, unde illi agnomen; & longa serie genus repetit à Iacobo rege Arragonum.

Marchio Laini, ex familia di Cardines; quæ originem trahit ex antiquissima familia Hispaniæ.

Marchio Lauri, & Dominus Palmæ, è familia Pignatella.

Marchio Libonati, è familia Caracciola Rossa: Lelius primus dignitatem hanc accepit, anno 1598.

Marchio di Licito, è familia Piccolominorum.

Marchio di Laviello, è familia del Tufo.

Marchio della Motta Giojosa, è familia Caracciola. Michaël primo hanc dignitatem accepit, anno 1597.

Marchio Marigliani, è familia Monte-

tenegrorum. dignitatem hanc accepit anno 1578.

Marchio de Morcone, è familia d'Aponte. Ioannes Franciscus d'Aponte primus hanc dignitatem accepit, anno 1597.

Marchio di Monte Falcione; è familia Podericorum.

Marchio di Monteforte, è familia Loffreda.

Marchio di Misianello, è familia Coppola. Decius Coppola primus hanc dignitatem accepit, anno 1590; cui successit filius Ioan. Iacobus.

Marchio d'Oira, in agro Salentino, è familia Imperiali.

Marchio d'Oriolo, è familia Pignonum.

Marchio Pescaræ, è familia d'Avolos.

Marchio della Pietra, è familia Grimalda.

Marchio della Polla, è familia Villanorum.

Marchio di Santo Eramo, è familia Caracciola.

Marchio di Santo Mango, è familia Mastrocodiæ. dignitatem accepit anno 1594.

Marchio di Sorito, è familia Ardvinorum, è Sicilia oriunda.

Mar-

Marchio di San Georgio, è familia Milanorum. Iacobus primus dignitatem hanc accepit anno 1597; cui succeſſit filius Balthaſar.

Marchio di S. Marco, è familia Cavaniglia. Marcellus primus hanc dignitatem accepit, anno 1595.

Marchio S. Agathæ, è familia Loffreda.

Marchio del Salice, è familia Albricia: quæ originem trahit è Como. Ioannes Antonius primus hanc dignitatem accepit, anno 1591.

Marchio di San Lucido & d'Anze, è familia Carrafa.

Marchio di Circello, ex familia di Somma.

Marchio della Torre di Francoſiſe, è familia di Capoa.

Marchio Trivicii, è familia Loffreda.

Marchio della Terza, è familia d'Azzia.

Marchio della Valle Siciliana, è familia de Mendoza d'Alarcon.

Marchio di Vico, è familia Caracciola.

Marchio Venafri, è familia Spinolarum.

Marchio di Chiuſano, è familia Tommacellorum.

Mar-

tenegrorum. dignitatem hanc accepit anno 1578.

Marchio de Morcone, è familia d'Aponte. Ioannes Franciſcus d'Apõnte primus hanc dignitatem accepit, anno 1597.

Marchio di Monte Falcione; è familia Podericorum.

Marchio di Monteforte, è familia Loffreda.

Marchio di Miſſanello, è familia Coppola. Decius Coppola primus hanc dignitatem accepit, anno 1590; cui ſucceſſit filius Ioan. Iacobus.

Marchio d'Oira, in agro Salentino, è familia Imperiali.

Marchio d'Oriolo, è familia Pignonum.

Marchio Peſcaræ, è familia d'Avolos.

Marchio della Pietra, è familia Grimalda.

Marchio della Polla, è familia Villanorum.

Marchio di Santo Eramo, è familia Caracciola.

Marchio di Santo Mango, è familia Maſtrocodiæ. dignitatem accepit anno 1594.

Marchio di Sorito, è familia Ardvinorum, è Sicilia oriunda.

Mar-

Marchio di San Georgio, è familia Milanorum. Iacobus primus dignitatem hanc accepit anno 1597; cui succeſſit filius Balthaſar.

Marchio di S. Marco, è familia Cavaniglia. Marcellus primus hanc dignitatem accepit, anno 1595.

Marchio S. Agathæ, è familia Loffreda.

Marchio del Salice, è familia Albricia: quæ originem trahit è Como. Ioannes Antonius primus hanc dignitatem accepit, anno 1591.

Marchio di San Lucido & d'Anze, è familia Carrafa.

Marchio di Circello, ex familia di Somma.

Marchio della Torre di Francoſiſe, è familia di Capoa.

Marchio Trivicii, è familia Loffreda.

Marchio della Terza, è familia d'Azzia.

Marchio della Valle Siciliana, è familia de Mendoza d'Alarcon.

Marchio di Vico, è familia Caracciola.

Marchio Venafri, è familia Spinolarum.

Marchio di Chiuſano, è familia Tommacellorum.

Mar-

Marchio de Spennazzola, è familia Pignatella.

Comes di Caſtro, è familia Gattinariorum ; quæ originem trahit è Germania.

Comes di Condi Ianne, è familia Marullorum.

Comes Converſani, è familia Aquaviva.

Comes di Gioca, è familia Aquaviva.

Comes di Lorito, è familia d'Afflitto.

Comes di Machia, è familia Regina.

Comes di Mareri, è familia Columnenſium.

Comes de Manupello, ex eadem familia.

Comes Martorani, è familia d'Aquino.

Comes Monteagani, è familia di Capoa.

Comes Meliſſæ, è familia Campitellorum.

Comes di Muro, ex familia Vrſinorum.

Comes di Pacento, ex familia Vrſinorum.

Comes Palmarici, è familia de Matthiacis.

Co-

Comes Policaſtri, è familia della Spina.

Comes della Rocca dell' Aſpro, è familia Filomarina.

Comes de Montemileto, è familia Toccorum.

Comes de la Rocca Rainola, ex familia David.

Comes del Sacco, è familia Lanaria.

Comes de Runo, è familia Carrafa.

Comes de Sancta Chriſtina, è familia Spinella.

Comes della Saponara, è familia Sanſeverina.

Comes Venafri, è familia Pandone.

Comes Curvari, è familia Marierorum.

De Dvcatv Mediolanensi.

Dvcatus Mediolanenſis olim latiſſime patuit. nam Ioannes Galeatius primus Dux, à VVenceſlao Imper. dictus, accepit nominatim has urbes, regiones, pagoſque; Brixiam, Bergomum, Comum, Novariam, Vercellas, Alexandriam, Dertonam, Bobium, Placentiam, Rhegium,

gium, Parmam, Cremonam, Laudam, oppidaque conjuncta, Tridentum⁀, Cremam, Soncinum, Burmium, Burgum Sancti Donini, Pontem Tremulum, Massam novam, Fælicianum, cum oppido arceque Arassi ac omni ejus jure in Astensi diœcesi; itemque Ceravallim, præterea Comitatus & jurisdictiones ad sacrum Imperium spectantes; aquas, stagna, torrentes, lacus, fluvios in iisdem diœcesibus; insuper Veronam, Vicentiam, Feltrium, Bellunum, Bassanum, cum territoriis; Sarzanam, Laventinum, Carrariam, D. Stephani castrum, & arces, oppida, pagosque diœceseos Lunanæ omnes. Post etiam annum cIↃ ccc xcvii Comes Ticini Angleriæq; ac omnium oppidorum Verbani lacus ab eodem Imp. appellatus est. Idem ut Marcâriam & Cesaticum atque D. Michaëlis oppidum⁀, Campanellumque Mantuano ademit, anno cIↃ cccxcix Pisas à Gerardo Apiano comparavit. Sed sub filio illius Ioanne Maria magna commutatio facta. nam omnes fere civitates à diversis tyrannis invasæ, aut ad veteres dominos, aut denique in libertatem redierunt: Pisæ Florentinis venditæ, Verona Vicentiaque sese Venetis dediderunt. Philippus deinde

deinde Maria ditionem paternam in Lombardia recuperavit; præter Bergomum & Brixiam. Sub Ludovico Cremona & Abduæ Glarea ex fœdere contra Gallos icto Venetis cessit.

Ducatus Mediolanensis hodieque majorem melioremque Lombardiæ partem occupat, tam citra quam ultra Padum; fines habet à Septentrione quidem ad Verbanum lacum, (hodie Lago majore) Helvetios, qui Belinzonam tenét ad vicinum fluvium, & alia oppida juxta initium Verbani lacus sita, cum toto Lugani lacu, ad principium veroLarii lacus, (hodie Lago de Como) Rhætos. Ab Occidente confinia attingit Vallesiæ ultrà fluvium Athisonem, & confinia Ducatus Augustæ & Comitatus Vercellarum juxta fluvium Sicciam, nec non & Montisferrati fines. Ab Oriente Bergomensem agrum juxta Abduam fluvium, ab oppido Lecco usque ad Trozzum; Brixiensemque ab oppido Covo vulgo nuncupato usque adCalvatonum, mediante Ollio fluvio, (manente sub Venetorum ditione Cremnoæ territorio veluti insulâ concluſa intra Mediolanensem statum) ac etiam Mantuanum agrum & Sablonetæ. A Meridie denique Parmensem Ducatum, Pado in-

tercurrente, videlicet à Casale majori Arenam usque, & ab Arena Bobium: addo & in partes Genuenses alioque imperiales feudatarios. Ambitu suo trecenta milliaria complecti dicitur.

Hodie, ut prodidit Guarinus, tantum decem civitates complectitur, Mediolanum, Ticinum, Cremonam, Laudam, Dertonam, Alexandriam, Comum, Novaram, Bobium & Vigevanum.

Regio omnis multis fluminibus secatur, varioq; habet lacus; solum tritici fœcundissimum, itemque optimi vini & omnis generis fructuum feracissimum. Circa metropolim autem tanta oryzæ copia crescit, ut pene fidem superet, & quæ merito ubique maximi fit, & in hoc farris genere passim nomen meruit. Cremonensis ager, & frumenti fertilis & vini & fructuum, lino autem inprimis abundat & melle. Laudensis denique secales, milii, vini, lini & fructuum variorum ferax, & pascuis adeo locuples, ut ingens numerus armentorum ibi alatur.

Primaria illius civitas est Mediolanum, hodie Italis *Milano*; antiquissima & à Gallis Insubribus, uti creditur, condita: Situs illi inter Ticinum Aduamque, haud procul Alpibus, per-

oppor-

opportunus, natura cœli ſolique temperatus. Inter maximas Europæ urbes merito cenſetur; mercaturâ opibuſque florentiſſima; ſplendore ædificiorum, templorum magnitudine, Prętoriorum amplitudine, platearum pulchritudine ſpectabilis; mœnibus firma, propugnaculis munitiſſima & armamentariis inſtructiſſima: ſpatium immenſum complectitur, quippe quæ ambitu ſuo octo millia complecti dicatur; & ſumma hic incolarum frequentia, quum ad ducenta triginta millia capitum hic numerari cenſeant qui accurate multitudinem conſiderarunt: ſuburbia habet longa lataque, quorum quædam cum magnis oppidis committi poſſent; foſſæ altæ, & non ſecus quam urbs ipſa vallo munitæ. Vix dici poteſt quam plena ſit omnium artium, opificorumque ſcholis atque officinis: adeo ut vulgari proverbio jactetur, Mediolanum deſtruendo, Italiam inſtrui poſſe; quorumvis puta artificum copia. Nobilitate quoque plena eſt, quæ magis imaginibus & exteriore ſplẽdore tumet quam vera virtute: divitiarũ hic abunde eſt, ſed penes multos; nam paucæ admodum ſunt familiæ quibus annui reditus ſunt XXV aut XXX mill. coronato-

rum; infinitæ autem pene, quibus III, IV aut V millium. Arcem habet quam portæ Loviæ Castrum vulgo vocant, qua in Europa nulla est fama celebrior, ob ejus magnitudinem, operumque ac munimentorum amplitudinem. Iusta enim urbs capacitate, vicos, plateas, fora, palatia, fabrorum omnisque generis mechanicorum artificum tabernas operarias in se complectitur, nullius opis indigens externę: sed commeatu, annona, omniumque rerum copia, bello paceque necessariarum, abundans. Effundit oppidi instar undiquaque vasta propugnacula. circum ambiunt fossæ latissimæ profundis amnibus perfluæ & utrimque parietibus lateritiis evectæ. Muri crassitudine stupendi fulciunt aggeres latissimos & meatibus concameratis pervios. E quorum pinnis & fenestellis per castri totius & propugnaculorum circuitum se exerunt ampla & prægravia ænea tormenta, rotis ferratis imposita.

In palatio urbis armamentarium est, in quo videre est arma multiplicia, precio, artificio & elegantia magnis quibusque Principibus digna: sunt enim non solum auro, argento coloribusque per encausticen exornata, sed

ſed etiam cælatura artificioſiſſima per fabricam elaborata.

Adminiſtratio cauſarum civilium & criminalium pendet ab Senatu Mediolanenſi, in quo ſedecim ſunt doctores, & nonnulli Prælati patriciique Mediolanenſes.

Dextra Mediolani parte, atque læva Seneſæ fluminis, adparent, quæ lingua vulgari Mirabello, Vergano, Quanto, Friſiana, Bruzzano Vialba, Bola, Nova, Noia, Corina, Caſſina matta, Garbagna, Sinago, Caſtelletto, Ceſata, Solera, Limia, Boiſio, Cervato: ad amnis Luræ dextram, Cadifatti, S. Dalmaſio, Monbello, Ceſa, Meſuite, Barlaſſina, Canago, Lazate, Rovellaſca, Birago, Lenta, Crivello, Bricola: altiuſque Chiaſſe & Mandruſio. Læva Mediolani, ad Oronæ dextram, conſpiciuntur, Cagnola, la Certoſa, Miſoco, Roſe, Caſſina de Bero, Hoſpitale Paltanello, Reozo, Mazzo, Torreta, Sancta Maria, Roſſa, Catono, Leina, Poliano, Zacona, Orugio, Sainct Lorézo, Sancto Viſtore, Legnano, ubi pons ſuper Oronam ſtratus, Cerro, Sancta Maria, Serona ad ſiniſtram Luræ ulterius Germano, Rovello, Aipe Orona, Marcia, Caſtellago, Mezza, Preſpiáno, Carbona, Gorla, Loro, Rovelaſca, Venian, Senegra,

Abiaguazzo, Lunicipino, Trada, Somallæ: & in montibus Castiglione, Venegono superiore & inferiore, Canosco, Bellegazzo, Apiano, Guenzo, Lamazzo, Borgoro, Solerona; altiusque Lulbia, Rocca, Cagno, Monello, Pianasca. Visuntur eodem tractu Ponte Vidon, Vodano Rovera, Binago, Mocagna, Malno, Lagurno, Liganetto, Cazzan, Rodere, Bizuchio, Imbrusa, Viglavi, Salvo, Monte Arso. Reliqua loca sunt Pistura, Abia Crassa, Brusates, Rosates, Canegra, Varesium, Castellettum, Corbetta, Sibrianum, Vittone, Maxcenta, Galeratum, Sancta Maria Montana, Galla Sicca, Sextium, Arsagum, Sfortiata, Gambolate, Gropetum, Vigeranum, Vallis Plumbana, Martaria, Burgum Lavetium, Barbarica, Laumellum.

Ticinũ, hodie *Pavia*, sub Mediolanensi Ducatu comprehenditur. (licet ex instituto VVenceslai Comitis titulum duci Mediolanensi addat.) urbs minime splendida; domus pleræquè humiles, neque ad Italiæ morem perpolitæ viæ rectæ atque patentes. Inter ædificia principem locum obtinent duo palatia commodo studiosæ juventutis exstructa. alterum à Pio V. Pontif. Max. alterum à Carolo Borromæo.

Vrbs

Vrbs universim hinc aggeribus, fossis, lateritiis propugnaculis; inde flumine tuta, quod muros illius radit secundum oppidi longitudinem, neque facile alio derivari potest. Arcem habet antiqui operis, in qua olim duces palatium habuerunt. Oppidani originem Gallicam ostendunt, plurimæ enim familiæ lilia in insignibus usurpant. Ager hujus urbis optimus, supraque modum fertilis tritici, vini, reliquorumque fructuum; tantæ passim ubertatis amœnitatisque, ut vulgò *Il giardino di Milano* audiat. Via qua Mediolanum itur, vivarium est, quadratâ formâ, circuitu xx milliar. Italicorum, vulgo dictum *Il Barro*; desinens ad nobile sumtuosumque Carthusianorum monasterium; vulgò la Certosa. Post vivarium occurrunt Mandrino, Vigidulfi & Ticinello fluv. Ticinensem historiam eleganter descripsit Bernardus Saccus libris decem.

Cremona nobilissima & pulcherrima civitas, sed bellicosis & factiosis civibus plena: muro cincta est antiquo sed debili; verum habet arcem munitissimam, quæ valido semper præsidio tenetur.

Lauda (vulgo *Lodi*) civitas perhonesta, dives, lauta, rebus omnibus quæ

sunt ad vitam utiles abundans; populum alit non minus in armis, quam mercatura parandis divitiisque solertem. arcem habet munitam. Agrum habet admodum amœnum & fertilem copia tritici, siliginis, milii, cæterarumque frugum, vini & aliorum fructuum. Campis lætissimis & pratis ad rem pecuariam summè opportunis felix est. quippe ager totus irriguus & crebris rivulis intersectus. Vnde lactis summa hic copia, & casei ingentis molis & magni ponderis hic conficiuntur.

Dortona (vulgo *Tortona*) civitas ad Apennini jugi sese flectentis cubitum, à Frederico olim Imper. eversa, sed à Mediolanēsibus restaurata, unde summa animorum conjunctio. castellum habet cum forti præsidio.

Alexandria à palea cognominata, urbs inter duos amnes posita, Tanaro suburbia divellente: jacet amœnissimo plane loco: habetque arcem quantivis pretii.

Comum antiqua colonia Romanorum, urbs nobilis & opulenta, rebusque necessariis ad usum hominum affluens: munita quoque ad limites Helvetiorum: Si autem fas est credere res antiquas etiam hodie animos movere,

nulla

nulla fuerit civitas offensior Mediolanensibus, quam hæc. Agrum habet à meridie peramœnum & fertilem, ab altera parte lacum Larium, sive Comensem.

In agro Laumellino civitas est Novara, in modico sita colle. diu sub Mediolanensium Ducum fuit ditione. ab Turrianis, Vice-Comitibus, Sfortiis, Franciæque Regibus possessa, cum Ducatus capite Mediolano in Hispanorum venit potestatem. Fruitur eâ certis legibus Parmensium Dux. Octavius quippe Farnesius anno cIↃ IↃ LVI, cum Cæsare socero reconciliatus est accepta Placentiæ, Novaræ ac Novariensis territorii & castellorum in Parmensi agro à Cæsarianis occupatorum possessione. hæ vero leges genero à Cęsare dictæ: Vt Placentiæ arcibus præsidium Hispanorum accipere & illud stipendio suo alere teneretur; Manerent Imperio & Romanæ sedi salvæ rationes, quas in Parmensi ditione habent; Novaræ arx in Cæsaris potestate esset, &c. Episcopatus gaudet dignitate. Visuntur hoc tractu, Bremidum, Palestrium, Romanianum, Camarianum, Monatium, & alia. Brendronium, Gaviratium, Brusinum planum, &c. Luganum, Milli, Murco-

tium, Lisantia, Angleria, Rancotium, Incusa; Machaneum, Mons Scopatiolus; Belinzona, Rigoretum. cæteris commemorandis supersedeo.

De *Bobio* postea dicturus sum.

Vavarum non inhonestum oppidum, quod alii Vaprium alii Vavire nominant, è regione cõfluentis Brembi amnis in Abduam.

Vigevanum civitas est lauta, copiarum ad vitam utilium affluens, agro perbono atque ubere, frumenti, vini cæterarumque frugum fertili, gnavis & industriis oppidanis, præsertim commercio textilium è lana, quæ mirâ hic copiâ fiunt.

Præter civitates præcipuas quas jam commemoravimus, plurima sunt in hoc Ducatu, præsertim ad limites, loca munita; qualia sunt *Valenza* antiquum oppidum cum valida arce ad fines Montiferrati. *Mortara* lautum oppidum ad limitem Pedemontii & Vercellarum. *Pizzighitone* ad fines Mantuani, Placentini, & Venetorum. *Lecho* versus Comum, cui subsidiantur *Treczo* & *Abbia grassa*, castella munitissima; quorum *Treczo* clavis est hujus ducatus.

Castianum ad lævam Adduæ ripam olim frequens oppidum & arce munitum,

tum, sed bellorum injuria superiori seculo miserè deformatum: nunc nonnihil respiravit.

Redditus annui hujus Ducatus ampliſſimi sunt. nam superiori quoque seculo, ut Comineus refert, Duces quotannis ad septingenta millia ducatorum perceperunt: nunc autem Rex Hispaniarum octingẽta percipere dicitur, præter exactiones multas quæ extra ordinem miseræ plebi imponuntur: tantáque est regiorum ministrorum crudelitas & avaritia, ut proverbio in Italia locum dederit, in Sicilia quidem ministros Regis arrodere, in Neapolitano autem regno comedere, in Mediolanensi vero Ducatu penitus devorare.

Fortissimus eques Guarinus ita annuos hujus Ducatus reditus expressit. Hodierni (inquit) hujus status reditus annui, in diversis rebus consistunt. Primo est Mensuaria, (ita dicta quia in singulos menses solvitur pro rata portione) nimirum trecenta mill. coronat. annua, quæ solvuntur ab omnibus locis status, tam eis quæ in feudum concessa sunt, quam quæ immediate duci subsunt. Secundo datia quæ mercibus imposita sunt ad rationem antiqui valoris earundem, octoni coronati

nati in singulos centenos; & redimuntur annuatim pro CXL mill. coron. Tertio vectigal salarium: non enim licet salem exoticum invehere nisi iis qui licentiam à Camera pretio comparaverint, quam plerumque redimunt ducentis triginta millib. coronat. Sunt præterea datia vini, farinæ, carnium, sed aliis jam diu oppignorata. De incertis non opus est dicere; qualia sunt, multæ pecuniariæ, & bona condemnatorũ, quæ fisco cedunt. Porro maximos Rex sumtus hîc facit; nam ut plurimum etiam pacis tempore tria millia peditum Hispanorum hic alit, mille velites, & sexcentos equites cataphractos. Multis autem annis jam impacata hic fuerunt omnia, nunc propter controversias cum Sabaudo, nunc propter bellum in Rhætia; nuper propter Sabaudi & Gallorum expeditiones in Genuates; quibus haud dubio & incolarum opes exhaustæ, agri variis locis vastati; & Rex ingentes belli sumtus sustinuit.

Toti Provinciæ præest Gubernator, (qui & Vicarius generalis Regis appellatur) penes quem est arbitrium omnium rerum politicarum; (civiles & quæ justitiam tangunt à Senatu peraguntur) & electio Magistratuum

omnium

omnium biennalium, puta Poteſtatum, Vicariorum, Iudicum, Commiſſariorum, Referendariorum, & Advocatorum fiſci &c. Eſt ipſi Conſilium ſecretum, conſtans è Generali copiarum militarium, Caſtellano mediolanenſi, Cancellario, Præſide Senatus, Præſide Magiſtratuum oppidanorum, Theſaurario generali; cui interdum alii pauci ob præclara merita ſpeciali Regis gratia adjunguntur.

Senatus Mediolanenſis conſtat Præſide, & XII Senatoribus, (quorum tres ſolent eſſe Hiſpani) ut plurimum lecti è præcipuis civitatibus hujus ſtatus: è quibus veteri conſuetudine legi ſolet Regens, qui in Hiſpania Regi aſſiſtit, & locum habet ibidem in Conſilio Italiæ: ab hujus Senatus judiciis nulla datur appellatio. Omnes civitates, municipia & caſtella ſuas habent communitates, quæ reguntur ut plurimum à XII decurionibus; qui ſorte eliguntur è capſa conſiliariorum, qui fere ſunt LX: hi decuriones curant reſpublicas cujuſque loci. Mediolanum autem nullam aliam habet ſupra reliqua oppida prærogativam quam quod tribunalia generalia illi reſideant.

Familia Ducum Mediolanenſium ita

ſe

se habet : uti Onuphrius expressit. Ioannes Galeatius Vice-Comes, Galeatii filius, Stephani N. Magni Matthæi pron., patri successit in administratione paternæ ditionis, anno clɔ ccc LXXVIII. Dux primus, Mediolani creatus ab Imperatore VVenceslao non. Septembr. anno clɔ ccc xcv. Imperavit annos VII; à patris verò obitu ad Ducatum ann. XVII, mens. I, obiit anno clɔ cccc II, Mediolani. Prima illa uxor fuit Catharina filia Ioannis Regis Francorum, è qua sustulit filiam Valentinam, quæ nupsit Ludovico Turonensi Car. V Franc. Regis filio, qui ex illa sustulit Carolum Ducem Aurelianensem & Mediolanensem, patrem Ludovici XII Reg. Franc. E Catharina autem Vice-Comitis Barnabæ F. tertia uxore sustulit Ioannem Mariam, qui Dux creatus est anno clɔ cccc II. & civium aliquot conspiratione occisus est anno clɔ cccc XII. Et Philippum Mariam, qui Dux creatus est post fratris cædem, & imperavit ann. XXXV. obiitque anno clɔ ccccc XLVII. is ex uxoribus nullos liberos sustulit, è concubina autem filiam Blancam Mariam quæ nupsit Francisco Sfortiæ, Sfortiæ Antenduli fil. post obitum autem Philippi Mariæ

Mariæ interregnum fuit annis 11, mẽsib. sex, d. XIV. Tunc vero Franciscus Sfortia ex Duce exercitus creatus est quartus Dux Mediolanensis, coronatus 8 cal. aprilis anno CIↃ CCCC L. fuit gener Philippi Ducis per filiam Blancam & adoptione filius. regnavit annis XVI. obiitque anno CIↃ CCCC LXVI. Sustulit autem ex Blanca hosce liberos: Galeacium Mariam Sfortiam, qui V Dux Mediolanensis creatus fuit anno CIↃ CCCC LXVI, & præfuit annos X, mens. IX, occisus in templo conspiratione civium Mediolanensium, anno CIↃ CCCC LXXVII. ejus uxor fuit Bona filia Ducis Sabaudiæ. Et Ludovicum Mariam cognomento Morum Sfortiam. Galeatius autem Maria Sfortia è Bona sustulerat Ioannem Galeatium Mariam Sfortiam, qui post patris cædem VI Dux Mediolanensis creatus ann. CIↃ CCCC LXXVIII, præfuit ann. XVII, mens. IX. obiitque ann. CIↃ CCCC XCIV, postquam ex Isabella Alfonsi regis Neapolitani filia sustulisset Franciscum Sfortiam Barri in Apulia Ducem, & Bonam Ducissam Barri, uxorem Sigismundi Regis Poloniæ. Post hujus obitum patruus illius Ludovicus Maria VII Mediolani Dux creatus anno CIↃ CCCC XCIV. qui à Ludovico

XII Gall. R. exactus an. clɔ cccc xcix, & captus an. clɔ Iɔ, in Gallia in carcere obiit, postquam ex Beatrice Herculis Estensis F. sustulisset Maximilianum Mariam Sfortiam, qui VIII Dux factus est an. clɔ Iɔ xii, & à Gallis captus fuit an. clɔ Iɔ xv, & Franciscum Sfortiam, qui IX Dux factus obiit an. clɔ Iɔ xxxv.

I.

Stemma Galeatiorum.

Ioannes Galeatius I Dux.
Ejus liberi.

Valentina uxor Ludovici Turonensis.
|
Carolus Dux Aurelianensis.
|
Ludovicus XII Rex Franc.
|
Claudia quæ Francisco I Valesio Reg. Gall. nupsit.

Ioannes Maria II Dux.
Philippus Maria III Dux.
|
Blanca Maria uxor Francisci Sfortiæ.

II. Sfor-

II.

Sfortiarum ſtemma.



Vt autem jus quod Galliarum Reges ſibi vendicant in Ducatum Mediolanenſem melius intelligatur; narrant Valentinam hac conditione à Patre Ludovico Duci Turonenſi, aut ut Galli dicunt Aurelianenſi elocatam, ut ſi fratres illius Ioannem & Philippum ſine legitimis liberis decedere contingeret, Ducatus Mediolanenſis ad Valentinam & illius hæredes & legitimos ſucceſſores deſcenderet; quare & Carolus Aurelianenſis Valentinæ filius

patruo ſuo mortuo, Ducatum armatâ manu eſt ingreſſus; & Ludovicus duodecimus Gall. Rex Mediolanum vi obtinuit & Ludovicum Sfortiam captivum abduxit. Res tota paulo prolixius refertur à Cominæo lib. 1, de bello Neapolitano. Sed Hiſpanus, Veneti & Papa contra Gallum fœderati, Helvetiorum copiis freti, Gallos Mediolani poſſeſſione, quod jam XIII annos tenuerant, (verba ſunt Thuani lib. 1 Hiſtor.) expellunt, & Maximilianum Sfortiam Ludovici F. Mediolani Dominum conſtituunt, tradente civitatis claves Sedunenſi Epiſcopo. Ipſe Ludovicus ab infeſto Pontifice proſcriptus cum redintegrato exercitu rurſus Mediolanum Duce Ludovico Tremollio repetereat, ab Helvetiis ſanguinaria ad Novariam commiſſa pugna victus & tota fere Italia exclusus eſt. Nihilominus Franciſcus primus illius ſucceſſor ſtatim poſt regni ſucceſſionem aditam titulum quidem Ducis Mediolanenſis ſumſit; quippe qui Claudiam Ludovici filiam in uxorem haberet; tamen conſilio diſſimulato ſic res ſuas ordinabat, quaſi minime de recuperando Inſubrum imperio cogitaret: attamen copiis per Cottias & maritimas Alpes traductis, poſt

post cruentum cum Helvetiis prope Mediolanum prælium, Mediolanum cepit, & arcem in quam Maximilianus Sfortia confugerat deditione accepit. Carolus autem V Imperator Mediolanum rursus expugnavit, & Francisco Sfortiæ Maximiliani fratri attribuit. Quid autem juris Imperator in Ducatum Mediolanensem sibi competere prætendat, è Guicciardino operæ pretium est audire, è quo simul & juris Gallici munimina melius cognoscentur. Imperiales (inquit) contendebant antiqua jura Ducum Aurelianensium nullius esse momenti: nam quæ de successione Valentinæ convenissent, nequaquam authoritate Imperiali tum fuisse confirmata, hodie autem Ducatum immediate ad Imperium pertinere, quia investitura in Ludovicum Sfortiam & filios illius collata à Maximiliano Caroli avo fuerat revocata, cum tot tamque amplis clausulis, ut merito & jure valida fuerit, præsertim in præjudicium filiorum qui numquam possederant, & tantum jus expectativum habebant & non reale. Quodque propterea investitura in Regem Ludovicum & filiam illius Claudiam facta valida fuerit, verum hac conditione ut Claudia Carolo nube-

ret, sin vero conjugium absque Caroli culpa non sequeretur, investitura nulla esset, & directe ad Carolum perveniret; qui & in tali casu coram parente suo Philippo fuerit investitus. Ex eo porro sequi, secundam investituram, in eundem Ludovicum, & Claudiam illiusque maritum Franciscum tum Comitem Angolesmensem, collatam, nullam esse, quippe in præjudicium Caroli adhuc minoris & sub tutela Maximiliani avi sui constituti, factam: ita ut Rex Franciscus eo se tueri non posset. Multo minus allegare posse, Ducatum novo jure sibi esse acquisitum. nam tantum abesse ut investituram ab Imperatore obtinuerit, ut ne umquam quidem petierit; & manifestum esse, cessionem à Maximiliano factam illi favere minime posse; quia feudum sine consensu superioris Domini alienatum statim ad superiorem revertitur; ideoque Maximilianus Sfortia, licet admissus fuisset ab Imperatore, & Dux mortuus fuerit, cum numquam investituram acceperit, non potuisse in alium transferre jus quod numquam ipse habuisset.

De

De Finalio.

DE Finalio quod jam Rex Hiſpaniarum ad oram Liguſtici maris tenet ita ſe res habet: Vrbs jacet à mari M p. (inquit Leander) in faucibus vallis, ubi modico impoſita colli arx munitiſſima illam tuetur. Olim à Genuenſibus everſam perhibét, ejecta nobili familia Carrectorũ, quod Galeatius loci Marchio partes Mediolanenſis Ducis adverſus ipſos foviſſet. Philippus tamen Maria, Galeatium rurſus in ditionem reſtituit. cujus filius & oppidum reſtauravit, & ad inſignem nitorem perduxit. cui ſucceſſit in principatu filius Alfonſus: is à Finaliis ipſis ob ſævitiam illius rebellantibus oppido expulſus, & anno CIↃ IↃ LVIII, à Genuenſibus Duce Andrea Lomelino in arce ſua obſeſſus, fruſtra Senatum dehortante Andrea Auria, qui arcta adfinitate cum Carrectis conjunctus erat, ad Imperatorem de Genuenſium injuriis conqueſturus Ratiſponam venit: anno demum CIↃ IↃ LXIII Cæſar ſecundum Alfonſum pronunciavit, & Genuenſes ad Finalii reſtitutionem & ſumtus in id bellum factos Marchioni refundendos condemna-

vit. Cum tamen non parerent Genuenſes, poſtremo Cæſar Fæcialem ad eos miſit, ſed irrito initio ſucceſſu, paullumque ob eorum contumaciam à bello abfuit: Verum interventu Philippi Finalium Marchioni invitis oppidanis reſtitutum eſt & Genuenſes Cæſari reconciliati. Anno dein clɔ ɔ. LXXI, oppidum & arx ab Hiſpanis ex improviſo capta, ea tamen conditione, ut jura ſua ac fructuum & vectigalium perceptio Marchioni ſalva eſſent. Sed & tum reſtitutum fuiſſe videtur. Anno denique clɔ ɔc II, Finalium ab Hiſpanis occupatum fuit, Carractorum familiâ aut exclusâ aut ad diſceptandum jus ſuum in aulam Cæſaream amandatâ. In proximo & Medeſimus vulgo portus captus & milite firmatus.

III. De-

III.

De GENVENSIVM REPVBLICA,

Sive

POLITIAE apud GENVENSES descriptio.

ANte CCC annos (inquit Thuanus lib. 61,) cum hinc Spinularum & Auriarum, inde Fliscorum & Grimaldorum, quæ principes familiæ Genuæ erant, odiis privatis & simultatibus crudeliter & avarè LXX amplius annorum spacio lacerata fuisset Respublica, ad extremum qui patrias leges & jugum domesticum ferre non poterant, ad alienas opes confugere & externorum Principum dominationem experiri coacti sunt, sub Henrici VI. Cæsaris, Roberti Andini R. Neapolitani, deinde sub Regum Gallorum & Vice-Comitum Mediolanensium imperio per annos complures haud melius habiti. Tandem Simonis Buccanigri virtute pristinam

libertatem recuperarunt. Is anno CIↃ CCCC XLIV, excusso Vice-Comitum jugo, Rempublicam constituit, & Dux creatus, ut dissidiorum causas impositio ambitioni patritiorum freno præcideret, legem condidit, qua nobiles (sic vocabantur illi, qui in Republ. ab anno CIↃC (neque enim altius reipublicæ suæ originem repetunt Genuenses) honoribus & muneribus publicis participassent) à principatu & ceteris fere magistratibus arcebantur, quos solis popularibus gerere jus esset; populares autem ii dicebantur, qui tunc Novi, id est, nondum munerum publicorum participes; qui exinde soli fere summos magistratus in Republ. gesserunt, exclusis Spinulis & Auriis, qui tunc ejectis Grimaldis & Fliscis, rerum in patria potiebantur. Astu tamen illorum, quod jam vi aperta non audebant, tandem effectum est, ut subortis inter populares factionibus, & præcipue inter Fulgosios & Adornios, dum hi ad has, illi ad alteras partes se applicant, cuncta rursus in urbe & civili administratione miscerentur, principatu tamen summo semper penes populares manente; donec Octavianus Fulgosius, arce quæ à Gallis tenebatur recepta & destructa, victos

viros Reipubl. ordinandæ creavit, qui sopitis dissensionibus, & factiosis nobilium & popularium nominibus extinctis, concordiam inter cives & unionem restituerent. Verum cum Adornii rursus summam rerum ad se traxissent, tam sanctum ac laudabile Fulgosii propositum exitu caruit. Tandem Andreas Auria, cum alieno maxime tempore Gallorum partes deseruisset, & hoc operæ pretium à Carolo V. Cæs. obtinuisset, ut patriæ libertas restitueretur, pacis in civitate constituendæ factis ab Octaviano fundamentis superstruere voluit, & novam hanc reipubl. formam anno CIↃ IↃXXVIII instituit; qua nobiles & populares, abolitis factionum nominibus, in unum veluti corpus, conjungerentur, & utrique summis honoribus, à quibus nobiles, qui antea dicebantur, per XCIV annos exclusi fuerant, æquabili jure participarent. ea autem ratio inita fuit, ut recensitis omnibus familiis, excepta vili plebe, ex toto illo numero ampliores seligerentur, quæ sex domos sive alias familias ex se profectas, sed distinctas tanquam propagines à se deductas, haberent, in quas reliquæ omnes, quæ ad minorem numerum redactæ erant,

veluti adoptione, assumtis eorum nominibus, insererentur. Censu diligenter habito, hujusmodi conditionis tantum XXVIII familiæ repertæ, & ex iis XXIII ex Nobilium ordine, V tantum ex populari: ex fuerunt Nobilium quidem (ut Pizarrus annotat) Auriæ, Calvi, Catanei, Centuriones, Cibo, Cicadæ, Fliſci, Gentiles, Grimaldi, Grilli, Imperiales, Interiani, Lercarii, Lomellini, Marini, Nigrii, Nigrones, Palavicini, Pinelli, Spinulæ, Salvagni, Vivaldi, Vſusmarii: è popularibus autem Iuſtiniani, Furnarii, Franchi, Saulii, Promontorii: Fulgoſiis & Adorniis ob crebras ſibi invicem clades inflictas, exitia ac proſcriptiones ad minorem numerum redactis, quam ut per eam legem familias in urbe conſtituere poſſent. tum ut diſſidiorum occaſio tolleretur, quæ per factioſa nobilium & popularium nomina crebro renovabantur, nobilium nomen omnibus communicatum; & (ut ſcribit Bodinus) optimatibus ita conſcriptis, in ſingulos annos decem cives, ex opibus, virtute aut nobilitate cooptandi poteſtas facta: ſed ne ſic quidem res ſatis pacatæ fuerunt, licet Auria ſuperſtite quietæ. tamen anno XLVII poſt conjurationē Fliſcorum profligatam,

ex

ex Auriæ consilio, creati VIII Reipublicæ ordinandæ, IV ex Antiquis, IV ex Novis. jam enim illa nomina in locum nobilium & popularium invaluerant, pessimo, ut postea apparuit, exemplo. Ii legem in Antiquorum gratiam condiderunt, qua consilium majus, in quod CCCC quotannis ex omni numero sorte legebantur, ad CCC redigebantur, quibus e suffragio electi adjungerentur. XX ex primariis civibus delecti; VIII videlicet qui S. Georgii magistratum, VII qui magistratum extraordinarium cõstituunt, & V Syndici. additum postremo in favorem item Antiquorum ut e illi suffragio lecti, XXVIII viros, sic tamen ut duas tertias votorum partes vincere opus esset, eligerent, qui prius à V sorte lectis nominabantur. porro in illorum XXVIII potestate erat, ducem & cæteros magistratus eligere. Hanc injuriam Novi utcunque tulerunt usque ad annum CIↃ IↃ LXX, cum rursus factiones à Novis excitatæ, in tantum incendium exarserunt, ut Antiqui plerique Nobiles urbe denique excederent anno CIↃ IↃ LXXV, & infestis armis cum iis qui in urbe remanserant contenderent: (ut prolixe commemorat Thuanus Histor. lib. 61.) Tandem

dem tamen Pontifice, Imperatore, Regibus Gall. & Hiſpaniæ intervenientibus, induciæ pactæ, & in certos arbitros convenerunt; qui fuerunt Cardinalis Moronus ſedis Apoſtolicæ Legatus de latere: Petrus Faunus Coſtachiarius S. Imp. Comes & Princeps, Epiſcopus Aquenſis, Cæſareuſque Orator Don. Carolus à Borgia Gandiæ Dux; Ioannes Idiacus Philippi R. Orator apud Genuenſes. qui cum Caſalii S. Evaſii aliquandiu contuliſſent: tandem concordiæ leges perſcriptæ ſunt, & prius à Senatu revocatis exulibus, & viciſſim arcibus ac munitionibus, quæ belli tempore occupatæ fuerant à nobilibus, reſtitutis, primum Caſalii, dein Genuæ recitatæ ſunt, magno utriuſque partis applauſu: & poſtea leges publicatæ LXI capitibus comprehenſæ, iis ante omnia abrogantur nomina nobilium veterum & novorum ſive cooptatorum ac popularium, eorumve qui vel in urbe vel extra urbē ſunt: porticuum item S.S. Petri & Lucæ nomina & alia tam perſonarum quam colonorum aut factionum & familiarum appellationes; earſi omnino memoria ſepulta, additaq; in eos, qui eas renovaverint, poena, ut omnibus honoribus & nobilitatis commodis ipſo

jure

jure & facto privati censeantur. tum decernitur, ut omnes qui in censu civitatis descripti sunt & qui in posterum juxta novæ constitutionis formam describentur, in reipubl. administratione pares & æquales habeantur, ita ut unus nunc & deinceps sit solus & singularis; nullisque terminis aut numeris divisus Nobilitatis & civium Rempubl. administrantium ordo; & ut simultatum causæ radicitus evellantur, qui juxta legem anni XXVIII alicujus familiæ nomen & insignia assumserunt; iis dimissis in futurum ipsi ac ex iis prognati propriæ & avitæ familiæ insignia & cognomina in voce & scriptis usurpent: quod & in iis qui postea in nobilitatis censum referentur locum habere intelligatur. qui artes mechanicas exercent antequam in eum ordinem cooptentur, eos omittere teneantur. collegia duo instituãtur: & cccc ab arbitris, qui maiori; & ex eo numero quasi subsortitione quadam c, qui minori consilio præsint; aliique magistratus hac vice nominentur formâ præscriptâ, qua in iis creandis deinceps utantur. Magistratus autem h. sunt: Primus & præcipuus Dux, qui publicas ædes, quas palatium vulgò vocant, inhabitat, ejusque custodiæ præ-

præsidiique causa lo stipatores ac la-tellites Germani adhiberi solent: bi-nio autem præest, neque quicquam arduum sine ipso geri, aut ullum Senatus-Consultum citra illius suffragium cõdi potest. Proximi sunt Octoviri, qui una cum Duce collegium, faciunt, quod vulgo *La Signoria* appellatur: quoniam maxima quæque in Republica tractare consueverunt Octo-viri (ut ait Bodinus.) exacto magistratu Reipubl. toto biennio procuratores sunt, Dux perpetuo: & utrique deinceps quoad vixerint, in Octovirorum Collegium admittuntur. Præterea Imperator una cum Tribunis militaribus quadraginta, qui annuâ potestate legionibus præsint, eisdem optimatum suffragiis creantur. Quod ad jurisdictionem attinet, peregrinos arcessere solent; prætorem nempe cum duobus legatis, quorũ alter fiscalia, alter criminalia tractat: tum quinque viros privatorum judiciorum in biennium, quam ipsi Rotam appellant: at Septem-viri litibus extra ordinem definiendis ex albo civium accumiuntur. Item Syndicatus Quinque-virorum, (qui veri Censores) qui quæstiones exercent, tum adversus Ducem, tum etiam adversus Octo-viros exacto magi-

magistratu, edicto propalam proposito, si quis civium se injuriam ab illis accepisse conqueratur; quod si nemo questus fuerit, innocenter exacti magistratus decretum datur. Habent praeterea alium magistratum quem San-Georgianum vocant: Munus hoc nobilissimum anno CIↃCCCVII institutum fuit, cui etiam Respublica illa magnam suae incolumitatis partem debet. Quamvis enim Genuensium civitas in sterili fere solo sita sit, & opibus ibi genitis parum abunder: magistratibus tamen nunquam ad Reipub. sublevandas necessitates, & conficiendam pecuniam rationes defuerunt, quam ii qui ad clavum Reipublicæ sederunt à privatis hominibus vel invitis, vel volentibus, mutuo sumpserunt, sine tamen ipsorum damno, quippe gravibus usuris, pro temporis conditione & varietate persolutis, ne scilicet qui publicam rem suis facultatibus juvarent, privatim detrimentum paterentur.

Quo vero ad erogandum Reipublicæ pecuniam cives alacriores redderentur creditoribus, assignatis certis hypothecis & redditibus, è frumenti, vini aut aliarum rerum vectigalibus, &c. cavebatur. Et hic quasi Reipubl-

cum

cum privatis hominibus contractus. *Comperæ* dicebatur: additumque ut qui centum libras mutuo dedisset, in hac velut societate unum locum, qui ducentas, duos locos teneret, & sic deinceps: adeo ut Comperæ sive societates ejusmodi valde multiplicatæ fuerint, quarum aliæ dicebantur Capituli, aliæ S. Pauli, aliæ Salis, &c. Harum unaquæque à civibus quibusdam administrabatur, quorum erat operam dare, ut creditoribus recte satisfieret, & rationes inter hos & Rempublicam juste servarentur. Quum vero, ut fieri solet, è multitudine magna nata esset confusio, decretum fuit, ut omnes in unum corpus redigerentur, cui Comperæ sive Cameræ à D. Georgio nomen inditum, ejusque cura quibusdam itidem civibus commissa est. qui quum singulari industriâ & prudentiâ munus sibi injunctum administrarent, publicæ vero necessitates magnos requirerent sumptus, Locatariorum (sic enim supra diximus nominari eos qui in hanc societatem admittuntur) numerus valde crevit, adeo ut oppignorata magna publicorum reddituum parte, Officii hujus curæ & negocia mirum in modum aucta sint, & oppida etiam & territoria ejus ditioni

tioni accesserint. Inde factum, ut societas hæc primum ab ipsa Republica, deinde à Pontificibus, Imperatoribus & aliis civitatis dominis multa privilegia impetrarit, sic ut quamvis hoc officium ab ipsa Republica & iis qui Palatium gubernant dependeat, nihilominus tamen urbano magistratui subjecta non sit, sed omnes etiam qui partem aliquam Reipublicæ capessunt, ejus privilegia inviolata se servaturos promittere & jurare cogantur. Vt verò in aliis fere rebus principia valde tenuia sunt & contempta, temporis verò successu paulatim ad perfectionem contendunt: ita in hoc quoque officio sive magistratu accidit, cujus hodie multò melior & perfectior est forma quam olim fuit. Quantum enim ad comparationem utilitatis sive emolumenti à Locatario percipiendi attinet, non jam certum quid est præfinitum aut determinatum, ut olim, sed pro ratione reditus & sumtuum, itemque ad conservationem earum rerum quarum cura officio huic commissa est, & prout vectigalia fructuosa fuerint vel minus, omnia diriguntur; quin etiam ipsa redituum percipiendorum. quæ hodie in usu ratio multo securior est

& ad conſcientiam accommodatior: præterquam quod, ut d ximus, hac ratione dominia aliquot & territoria ei ſunt acquiſita, ad quorum faciliorem adminiſtrationem novas regulas & novas leges condere oportuit. Hujus quidem officii ſive magiſtratus reſpectu Genuenſium civitas in duas quaſi Communitates dividi poteſt. Quarum prima Major eſt, & ab iis qui in Palatio jus dicunt, gubernatur, & integram fere civitatem comprehendit. Altera eſt, cui San-Georgianus magiſtratus præeſt, & ad Locatarios ſive reddituum participes ſpectat. Illa quidem multis mutationibus obnoxia & tyrannicum imperium nonnunquam experta eſt; hæc verò libera ſemper & ad certos cives adſtricta, ac proinde firma fuit.

Porro huic officio ſive magiſtratui Octo-viri præſunt, qui Protectores vulgo dicuntur: eorum munus annuum eſt eliguntur vero ſexto quoque menſe Quatuor-viri ex omni Locatariorum ſive creditorum numero, ſic tamen ut credita pecunia ad certam & præfinitam aſcédat ſummam. Eliguntur autem hoc modo. Ex omni illo numero LXXX viri ſorte ducuntur; hi ſtatim è ſuo numero triginta quatuor

item

item ſorte ducunt, quibus conclavi egredi non licet, niſi octo prius illis Protectoribus electis; neceſſe vero eſt ut eorum ſinguli decem ſuffragia vel puncta ferant.

Anno cIↃ IↃ XLIV aliud officium S. Georgii, in quo octo fuerunt viri, conſtitutum eſt, quod ab anno inſtitutionis hodieque nomen habet, & officium XLIV, ſcilicet anni, vocatur. Cauſſa verò ob quam inſtitutum illud fuerit, hæc fertur. Quum officium ſæpedictum triginta ſeptem annorum ſpacio valde eſſet auctum, adeo ut octo illi Protectores negociis tractandis non ſufficerent, nec intra annum vertentem ea poſſent expedire, quæ ad conficiendam pecuniam & promovenda emolumenta ſpectarent: creditoribus neceſſarium viſum eſt, ad reliqua hæc bono ordine conſervanda (in quibus maxime hujus officii opes conſiſtunt) aliquot eligere qui earum rerum curam gererent, & in omnibus San-Georgianæ Societatis utilitatem promoverent, omnia vero ita occulte adminiſtrarent, ne tyrannis illud tollendi daretur occaſio. Et hoc quidem modo octo viri illi electi ſunt, è quibus bini quoque anno permutantur. Horum eſt colligere & adminiſtrare ea

quæ ex annuis proventibus, quorum cura octo Protectoribus concredita est, reliqua fiunt.

Officium hoc Corsicam insulam aliasq; nonnullas civitates & loca sub suo habet imperio, & omnes ad eorum conservationem necessarios sumtus facit.

Sunt & officia quædam apud Genuates, quæ expressa lege in eos conferuntur qui in libro civitatis descripti non sunt; ea tamen lege, quod ubi in aliquo eorum agitur de tractanda publica vel aliena pecunia, non prius ad illud obeundum admittãtur, quam idoneam cautionem præstiterint. Qualia sunt omnia officia Scribarum & Notariorum, tam eorum qui à secretis sunt Illustriss. Dominationis, quam qui in Collegio Procuratorum, officio S. Georgii, supremis Prætorii, Rotæ, tam civilis quam criminalis, omnibusque magistratibus, tam in civitate, quam in Ripariis, in Insula, & demum in universo dominio assident. Officia omnia Consulum rationis. Omnia officia receptarum pecuniarum, quas vulgus *Capseries* appellat, tam apud officium S. Georgii, quam apud licitatores vectigalium & omnium reddituum publicorum. Officium unum inter

inter Censores. quorum est providere, ut omnis injustitia inter ementes & vendentes & alios qui mercaturam vel artem aliquam manuariam tractant, præcaveatur, & omnibus debito pondere & mensura mercimonia ministrentur. Vnum inter Conservatores sanitatis; unum inter Annonæ præfectos. Præfecturæ insuper Tabiæ, Rapalli, Castri novi, Gavii Framuræ, Montis Rubei, Vernaciæ & Corniliæ, Sigestri, Trioriæ, Moneliæ, Vvadæ, Cerianæ Recchi, Petræ, Cervii, Andoriæ, Vultabei, Costæ Vadorum, Varaginis, Stellæ, Castilioni Rimazorii & Manarolæ, Portus Veneris, Corvariæ, Carri & Castelli, Godani, Arculæ Vezzani; præfecturæ arcis Lericensis, arcis Zarzanellæ & Gavii. Officia Vicariatus Savonæ, Clarari, Novarum, Spediæ & Bastitæ in Corsica. Non nisi adscriptis autem in civium librum, committuntur Prætura Savonæ, Capitaneatus Clavariensis, Spediensis, Zarzanensis; gubernatura Corsicæ, prætura Ayacensis; commissariatus Bonifacii & Calvæ.

Porro urbs Genua sita est in tumulis mari proximis, ad flexum sinum & semilunæ in modum incurvum. Impendent ab Arcto excelsi & nudis veticibus asperi atque inculti montes,

qui arcent infestos aquilones, superbissimis palatiis atque ædificiis ad miraculum usque nitet, ceterum angustis viis impedita, præterquam una quam Novam vocant. Bizarrus ejus ambitum supra sex millia passuum continere tradit. Amplissimum habet ad sinum portum, sed Africo expositum, quo sæviente hic interdum grave damnum naves patiuntur: Cui tamen incommodo ingenti mole ad sexcentos passus in altum jacta mederi sategerunt. E regione molis hujus promontorium eminet & super illud pharus elegantissimi operis; pone quem suburbia visuntur splendore & magnificentiâ ædium urbi pene æmula.

Porro urbs parochias numerat XXXII ad Orientem. Feritore amne, qui hodie Bisamnis appellatur, prope ipsa mœnia alluitur; habet ibidem & torrentem potius quam fluvium, Ferixanum dictum, qui è proximis montibus præcipitatus, in conspectu urbis se Bisamni miscet: ab occasu flumen Pociferum, à quo vallis nomen habet, decurrit. totiusque illius tractus, præsertim littori maris vicinus, multis nobilibus municipiis & commodis pagis commendatur; inter quos sane vicos hi ferme sunt omnium fertilissimi &

amœ-

amœniſſimi, Nervium, Buhaſcum, Saulum, Rechum & Camulcum; paſſimque totis vallibus & collibus villæ inſtar arcium conſpicuæ, ac Porphyrio lapide admodum ſplendido ornatæ. Ab urbe Mediolanum tendentibus iter eſt primum per vallem Pociferanam, deinceps per arduos montes caſtanearum feraces, frugum non item. Vigeſimo ab urbe milliari Ottagium occurrit peramplus & elegans pagus. Clavium deinde munitiſſimum caſtellum & Genuenſis territorii limes. Savona (inquit Leander) urbs eſt perhoneſta, circuitu clɔ Iɔ paſſuum, magnificis ædificiis exornata; ſæpe dominos mutavit, quandoque & libera fuit, nunc Genuenſibus paret, qui & portum illius anno clɔ Iɔ xxviii corruperunt.

Carolus V (inquit Thuanus) cum de Genua ut rebus ſuis cum multas ob cauſas, tum inprimis ad tranſportandas ex Hiſpania in Italiam copias, opportuna, in poſterum firmanda & arce in ea inſtauranda cogitaret, nullis rationibus, nec proprio quidem periculo territo, Auriæ perſuadere potuit, ut arcem urbi, hoc eſt, jugum patriæ imponi pateretur: itaque aliam ſibi civitatis frenandæ ineundam ratio-

nem existimavit prudentissimus Princeps, eamque optimam judicavit, si Genuensium pecuniam, qua fere illorum opes constant, grandi fœnore pasceret. Sic enim brevi fore, ut hominum quæstus dulcedine illectorum opes sensim ad se contraheret, & ita urbem in ære suo, hoc est, civium studia, in potestate haberet. Ea arte cum erga Genuenses usus esset Carolus, & patris vestigiis insistés Philippus, quiBelgico bello, ad quod damnosis sumtibus opus erat, implicatus, ex ea occasione ingentes summas, à nobilium præcipue ordine, emunxit, prò quibus ingentes pariter usuras pensitabat, destinatis ad eas exsolvédas præcipuis Indiarum & Hispaniæ vectigalibus: cum vero in putandis usurarum rationibus erratum esse & calculi errorem corrigi debere contenderet, ut si majores, quam deberentur, usuræ persolutæ essent, eæ in sortem imputarentur: interim pensiones eis assignatas anno cIↃ IↃ LXXV revocavit, publicato in Hispania edicto qua re non solum Genuæ, sed Romæ, Venetiis, Mediolani, Lugduni, Rotomagi, Antvverpiæ & plerisqu= in Germaniæ locis, omnes argentariam exercentium rationes labefactatę sunt, parumq= abfuit, quin mensarii passim

credi-

creditoribus ſuis omnia decoxerint. Quod à Philippo factũ, ſive ut nobiles, quibus alioqui in occulto favebat, tum arridentibus belli domeſtici initiis exultantes & æquas conditiones jam recuſantes, in ordinem cogeret; ſive ut captatâ occaſione ex publica calamitate privatum cõmodum faceret: quippe cum ſciſsa factionibus Repub. quam quietis rebus, æquiores ſe à creditoribus ſuis conditiones laturum ſperaret. Rebus autem jam compoſitis Reſpub. ad Philippum Legatum miſit Io. Bapt. Lercarum, qui cum eo de revocatis penſionibus ſedulo ageret. Qua re, ſecundum tumultum tum ſopitum, non mediocriter res Genuenſium turbatæ fuerant. toto quadriennio cum penſiones revocatæ fuiſſent, eo exacto cum præpotenti Principe, cujus ex arbitrio ac nutu res Genuenſium pendebant, tandem conventum eſt, ut rationes novæ quidem denuo non inirentur, quod ab initio urgebant Hiſpani; quo caſu pecuniarum omnium præſenti numeratione Carolo olim parenti & Philippo filio creditarum dextantes uſuras offerebant; ſed ita ſortis principalis uſuræ deindeps contraherentur, ut quæ prius quaſi ſeptunces erant, hoc eſt, pro c unciis ſeptem

cum tertia paulo minus variabant, in posterum quasi trientes essent, id est, quatuor unciæ tantum cum tertia parte quotannis exsolverentur. Quod ob immanitatem summæ fortasse Genuensibus tolerabile fuit. Verum amplius illis à Philippo concessum, ut creditoribus suis, qui cum Philippo minime contraxissent, in dissolvendo ære alieno, quod ab ipsis, ut Philippo crederent, sumsisse se ajebant, eadem ratione satisfacerent. quod iniquissimum per se decretum, non solum Genuensium, sed aliorum Italorum, atque adeo sparsim toto orbe institorum rationes conturbavit, ac multos ex iis omnino bonis evertit. Idem Rex Philippus secundò idem fecit, & longe iniquiore ratione anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. Siquidem diplomate duodecimo Kalendarum Decemb. Pardi subscripto, ingentia debita & sumtus quos pro orbis Christiani salute facere indies cogitur, maximos caussatus, non aliam belli & aliis imperii necessitatibus subveniendi rationem iniri posse declaravit, quam si injustis ac gravibus usuris oppressum ærarium levaretur; quarum proinde cursum in posterum sistit,

sistit, revocatis pensionibus, ex quacunque causa negotiatoribus, post decretum anni millesimi quingentesimi septuagesimi quinti & millesimi quingentesimi septuagesimi septimi, assignatis, easque in ærarium inferri mandat. hujus diplomatis publicatione tristis ubique non solum in Italia & Hispania, sed in Germania & Belgio facies; cum plerique mercatores versuram facere & creditoribus suis decoquere cogerentur, &c. Thuan. lib. CXVII. Idem jam tertiò factum à Philippo IV illius nepote, qui hoc anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, septendecim millionum aureorum (id est, ut nos numeramus, quingentarum & decem tonnarum auri) quas Genuensibus debet, solutionem diplomate emisso, in annum millesimum sexcentesimum trigesimum sextum distulit, interim usuram ipsis pollicitus quinque pro centum: quo facto multorum fortunas & fidem evertit.

Ius

Ius quod Reges Galliæ sibi vendicant in

REMPVBLICAM GENVENSIVM.

E Thuani Histor. lib. XII *ad annum* CIↃ IↃ LIII.

IN Genuenses, in quorum ditione Corsica est, non heri aut nudius tertius Reges nostri (inquit) jus sibi arrogant. Nam cum cives rerum suarum statum pertæsi Rempin meliorē formam reducere cuperent; ante ec circiter annos Oratores ad Carolum VI. Damianum Cataneum & Petrum Persium miserunt, deprecatū, ut Civitatis imperium accipere vellet. hisque conditionibus, abdicante se imperio Antonio Adorneo Duce, transacta res est; ut Rex patronus ac legitimus Reip. & omnium ejus ditionum dominus esset, salvo tamen jure imperii; ipsiusque nomine præses natione Gallus imponeretur, qui duo suffragia in Senatu uti superiores Duces, haberet; ipsi amicos Regis pro amicis, hostcis pro hostibus haberent, ratis nihilo-

nihilominus fœderibus, quæ ipsis cum Constantinopolitano Imperatore & Cypri Rege intercedebant; præcipuæ x Respubl. arces Regis fidei ac tutelæ, atque ab ipsius milite servandæ committerentur; Respublica in fide Regis permaneret, nec ullo casu à Regia corona alienaretur. Exortis deinde Aurelianensium ac Burgundionum in Gallia factionibus, quibus pæne regnum pessumdatum est, Mediolani Duces, propter viciniam, jus, quod Respubl. ultro regibus nostris detulerat, in Genuenses usurparunt. Et testibus idoneis atque instrumentis fide dignis ostendi potest, diu post illam usurpationem, Mediolanensium Duces Genuensium principatus ratione Regibus nostris tanquam directis ac supremis Dominis fidem honorifice præstitisse. Idque Ioannem Galeatium fecisse, Ludovico XI Rege, scriptis prodidit Philippus Comineus noster, Commentario VI. Tandem dejecto Ludovico Sfortia, Ludovicus XII antiquam possessionem recuperavit, & imposito Philippo Clivio præside per VIII annos imperium ejus tenuit. Rebellante deinde plebe, Paulus Novius expulsis Gallis Dux creatur. Sed Ludovicus mox recepta urbe, & securi percusso

percuſſo Novio, arcem tanquam frenum ferocienti multitudini impoſuit. Poſtremo Octaviano Fulgoſio ultro ſe in Reipublicæ gratiam ac commodum imperio abdicante, Franciſcus rurſus Regum Franciæ jus in ea retinuit. & Fulgoſius ipſe Regis nomine totos IX annos reipubl. præfuit, donec poſt Ticinenſe prælium Galli omni Italia depulſi, Genuenſi quoque imperio exuti ſunt.

IV.

DESCRIPTIO POLITICI STATVS APVD LVCENSES.

PORRO Lucenſis civitatis ambitus duo milliaria Italica complectitur. Hominum XXIV millia in ea numerari dicuntur. Familiæ ibi ſunt opulentiſſimæ, mercaturam pleræque exercentes, inprimis ſerici panni, cujus conficiendi artem cives à Caſtrutio Caſtricano tyrannide oppreſſi, relicta civitate Florentiam & ad alias Italiæ urbes pertulerunt. Incolæ humani ſunt & ſinceri. Lingua utuntur præ ceteris Hetruriæ oppidis magis

gis eleganti, & moleſtis illis accentibus purgata. Sola ex omnibus civitatibus, quamvis parva, libertatem tuetur. Politici ſtatus fundamentum Senatus eſt, à quo reliqui omnes Magiſtratus ordinantur. Hic tribus hominum generibus conſtat. Alii enim ordinarii ſunt Senatores, eamque dignitatem per annum tenent: alii extraordinarii, qui prout viſum Senatui fuerit, aſſumuntur: alii in mortuorum locum ſunt ſurrogati, quorum itidem munus eſt annuum. Senatores in univerſum ſunt centum & ſexaginta; ſed ut plurimum ordinarii ſunt tantum centum & viginti.

Civitas univerſa in tres partes diſtributa eſt. Prima S. Salvatoris, ſecunda S. Paulini, tertia S. Mauritii vocatur. Ex his Senatus ſupremum Magiſtratum, quem Signoriam vocant, eligit, ternos ſcilicet è ſingulis partibus, quibus additur Gonfalonerius, id eſt, vexillifer, Reipublicæ caput, qui per vices modo ex hac, altero anno ex altera, tertio ex tertia, & ſic rurſus à prima facto initio, ſumitur.

Decem hi tertio quoque anno eliguntur, &, Gonfalonerio excepto, Antiani vocantur. Fit autem electio hoc modo. Tres, pro partium civitatis nume-

numero, viri ad numeranda suffragia deputantur, quos Assortatores nominant. Inde Senatus quibusdam Gonfalonerii eligendi dat negocium. Electioni vero Assortatores assistunt, in loco à Consilio separato, & numerant pilulas usque ad CLXXX. quorum numerus præterquam illis, nemini est cognitus. ne quid vero fraudis ab eis committatur, duo monachi eis adjunguntur, unus è S. Dominici, alter è S. Francisci familia. Assortatores potestatem habent magistratibus jam creatis tale temporis spacium præscribendi quale illis videtur, hoc scilicet modo: ut Cajus hoc mense huic officio, Nævius illo mense alteri prœsit, &c. Et deputatio hæc in secreto fit, nec cuiquam sub gravi pœna licet eam revelare. Porro magistratus sive Signoria in Palatio semper se continet, & publicis sumtibus alitur, neque inde, nisi capitis pœnam incurrere velint, discedere eis licet. Ex Decem-viris Commẽdator eligitur per vices, cujus munus per tres annos durat. Is ceteris adeoque ipsi Gonfalonerio imperandi & solus ad Collegium referendi, non tamen sine ejus assensu quidquam statuendi habet potestatem. Rem à Commendatore collegis propositam

positam & probatam, Gonfalonerius inde Senatui proponit. Et illorum quidem imperium ad exteros tantũ pertinet, non ad cives; & referendi, nihil tamen decernendi, ut diximus, habent potestatem.

Secretariorum istorum, qui tres sunt, officium ad Majestatis crimen tantum extenditur: in quo ipso Gonfalonerio sunt superiores, nec tamen sine eo quidquam facere possunt. Etsi autem prius ad Consilium quod facturi sunt referre teneantur, fit tamen sæpe, necessitate scilicet ita exigente, ut factum anticipent, & postmodum rationem ejus apud Senatum reddant.

Consilium Colloquii, ut vocant, constat XVIII viris è Senatu electis. Hi in rebus intricatis & dubiis, de iis quæ in Senatu proponẽda sunt disceptant, & dictis sententiis, cum X-viris sive Signoria deliberant, an res porro Senatui proponenda sit, nec ne.

Sex-virorum Collegio publicorum reddituum & ærarii cura commissa est. E Majori Consilio eliguntur, & ministrum qui decreta ipsorum exsequatur, habent Camerlingum, quasi Camerarium, dictum.

Rota (magistratus plerisque Italiæ urbibus) tribus constat Iurisconsultis,

quorum patria quinquaginta ab urbe miliaribus abſit. Vnus titulum habet Poteſtatis: alter Iudex eſt maleficiorum: tertius cauſſarum civilium. ita ut unoquoque ſemeſtri inter ſe officia permutent. Si Poteſtas civem aliquem in manu non habeat, ſententiam ſuam ſcriptam Conſilio tradit, quod illam vel approbat vel refutat. De peregrinis vero ſolus Poteſtas, ſine aliorum interventu, judicat. Breviter, omnes cauſæ Civiles à tribus his viris tractantur.

Aula mercatorum novem conſtat viris, ternis ſcilicet à ſingulis urbis partibus electis. Ab his res ad mercaturam pertinentes diſceptantur; & delinquentes etiam capite multantur. Iuriſconſultum habent extraneum, tanquam judicem.

Abundantia officium novem itidem viros habet, pari ratione electos. Horum eſt, urbi de frumento proſpicere & quæ ad victum & alimoniam pertinent, & de omnibus cauſis quæ hæc concernunt cognoſcere.

Sunt & alii qui reliquarum rerum ad munitionem ſpectantium, eorumque locorum ubi illæ aſſervantur, curam habent.

Itemque alii ſex Commiſſarii dicti, qui

qui rem militarem procurant, & eis qui in agris delecti sunt, ut necessitate aliqua ingruente præsto sint, præsunt, & in ejusmodi controversiis judicant.

Nec non tres alii qui Sanitatis curatores dicuntur. Horum est, operam dare, ut sordes, immunditiæ, cibi noxii & corrupti, & ea omnia quæ sanitati nocent, & quantum fieri potest, amoveantur.

Porro quia in omnibus civitatibus homines degere solent otiosi, laborum fugientes, & variis vitiis & sceleribus inquinati; Lucenses Consilium habent particulare quod de discolis, ut ipsi vocant, id est, maleferiatis & improbis civibus atque incolis cognoscit. Cognoscendi modus talis est:

Septimana illa proxima ante Pascha, quæ sancta dicitur, qui in hoc consilio sunt, certo quodam loco congregantur. Ex iis unusquisque schedulam in qua nomen ejus quem ille pro homine flagitioso & civitate indigno habet, scriptum est, in arcam ad id præparatam immittit. Quo facto, schedulæ promuntur: ac si forte alicujus nomen aliquoties iteratum legatur, res ad Majus Consilium refertur: ibique rursus suffragia ineuntur: quorum duæ partes si nominato illi adversentur, is

talis pro homine nefario & civitate indigno judicatur, ſtatimque exulare eo adhuc veſpere publica præconis voce jubetur. Proſcriptionis vero hic modus eſt, ut intra triennium quinquaginta milliaribus ab urbe abſit: cui ſi contravenerit, capitis pœnam incurrit. Finito triennio ſi is reverſus vitam non emendarit, rurſus eodem modo in exilium pellitur. Hæc pœna non multum abſimilis eſt Athenienſium oſtraciſmo, quo eos quorum potentia ipſis ſuſpecta erat, decem annis urbe abſtinere jubebant.

Sunt etiam Octo-viri, qui diverſoria & hoſpites diligéter obſervant & examinant, præſertim in mendaciis deprehenſos.

Ab urbano magiſtratu centum milites extranei, quorum patria quinquaginta milliaribus ab urbe abſit, conducuntur: quibus tamen capitale eſt muros noctu conſcendere, quorum cuſtodia civibus commiſſa eſt, addito menſtruo trium ſcutatorum ſtipendio. In ſingulis portis bini Commiſſarii præſidio adſunt, quorum unus ante, alter poſt meridiem quæ neceſſaria ſunt curat.

V. DE

V.

De Ducatv Sabavdiæ.

Pedemontium, quo nomine (inquit Io. Boterus) fere comprehenditur quicquid Sereniſſima Ducum Sabaudiæ familia poſſidet in Italia, excepto Comitatu Nizzæ, à flumine Seſia ſeſe extendit ad Delphinatum uſque, inter Alpes, Montemferratum, Mediolanenſem Ducatum & territorium Genuenſe: ſecant illud Padus, Tanarus, Stura, Duria, & fere viginti octo alii amnes, qua grandes, qua tenues, & varii alvei, quorum in ſolo territorio Cuni duodecim viſuntur; Padus autem illud illuſtrat ſua origine ſub monte Veſo, antiquis Veſulo, hodie Nonviſo. Communis autem opinio eſt, nullam Italiæ partem amœniorem eſſe aut magis fertilem frumenti, vini, fructuum, nullam carnium domeſticarum & ferinarum abundantiorem, aut caſei, caſtanearum, cannabis, lini & metallorum feraciorem: unde fit ut vix ulla regio, pro magnitudine ſua, majorem principi ſuo fructum reddat. ubertas ejus vel ex eo patet,

quod belli tempore quod inter Gallos & Hispanos, fere per annos viginti & tres, maximis utrimque exercitibus in hisce regionibus gestum fuit, nunquam hic annonæ cujusvis generis penuria laboratum sit. Divitiæ vero illius, potissimum enituere postremis bellis, quæ Dux Carolus Emanuel superioribus annis religionis conservandæ (ut videri voluit) gratia, tam in Francia, quam in proprio dominio gessit: in quæ solum Pedemontium paucis annis undecim miliones aureorum extra ordinem contribuit, præter ingentes sumtus quos in præsidiis militaribus nutriendis sustinuit. Evehuntur frumenta, armenta & pecora, canabes maxima copia; nec non plurimum oryzæ, casei, vini, ferramentorum, chartarum, telarum, & serici crudi. Continet circiter quinquaginta Comitatus, quindecim Marchionatus, & ingentem numerum Dominiorum, (quæ neutiquam opulentia superioribus ditionibus cedunt) viginti grandes Abbatias, & maximum numerum ditissimorum beneficiorum. Non sunt quidem hic immensæ paucorum aliquot divitiæ, cum ad eum modum divisæ sint, ut singuli pene æquam illarum partem capiant:

neque

neque tamen hic desiderantur domini, qui quatuor, sex, octo, duodecim & qui quindecim millia aureorum annui redditus possideant. Neque urbes hic magnæ admodum, quia cum tota regio æque bona & copiosa sit, singuli, ubi commodum maxime videtur, sibi sedes capiunt; & quia commoditas ubique obvia, minime necessarium longe à domo quærere: nulla tamen Italiæ pars est ubi pagi & arces magis frequentes sint aut grandiores. Denique habitatoribus adeo frequens est, ut nobilis quidam Pedemontanus, non inepte alteri cuidam quærenti, quid esset Pedemontium; respondisse videatur, esse civitatem quæ trecenta milliaria ambitu complectatur. Octo habet Episcopatus, Vercellensem, Astensem, Eporediæ quæ hodie Surea, Augustanum, hodie Osta, Taurinensem, Montis regalis sive Mondovien-sem, Fossanensem, Salutiarum: quorum Asta, Eporedia, Augusta & Taurinum coloniæ fuerunt Romanæ: præter quas etiam Pollentia ibidem fuit, haud procul à Cheraſco, ubi Alaricus VViſigothorum Rex Stiliconis exercitum fudit, & Pollentiâ exhaustâ, ad Romam diripiendam contendit. Asta quidem & Vercellæ tum murorum

ambitu, tum ædificiorum magnificentia, tum agrorũ bonitate facile cæteris præstant; maxime autem Asta, quæ & numero & amplitudine palatiorum facile cum splendidissimis Lombardiæ urbibus potest contendere. Ager quoque illius, amnibus riguus, lucis opacus, amœnis collibus editus, rursusque in spatiosos campos declivis, & omnis generis annonæ & præsertim messis fœcundissimus, haud dubio excellit: fuit aliquando hæc civitas adeo potens, ut bellum longo tempore feliciter gesserit cum Marchionibus Montisferrati & illorum confœderatis. Vercellæ civitas antiquissima & Lybicorum populorum caput, inter Sesiam & Duriam Baltheam sita: habitata à populis, qui nobilitati studeut; clerum habet honoratum & locupletem. hic candidissimus panis comeditur, & longe pinguissimi capones. Leo IX hic Concilium celebravit contra Berengarium. Plinius mentionem facit Aurifodinarum Vercellensium, quarum adhuc vestigia cernuntur juxta Ponderanum, fortassis ab auro ponderando ita dictum. Iurea, quæ à recentioribus Lamporeggio dicitur, antiquis Eporedia, ab equestribus exercitiis, caput & Salassorum populorum

& Can-

& Cannabesii regionis, à Cannabis ubertate ita dictæ. Sita est in faucibus Vallis Augustæ super amnem Duriam, qui mediam secat (inquit Leander.) Arcem habet munitissimam cum quatuor altissimis propugnaculis sive turribus, situ tam opportuno, ut Berengario suo Marchioni & Arduino illius successori animos fecerit ad Italiæ regnum ambiendum. Maximi, inquit Thuanus, momenti est ad copias ex Helvetiis in Italia accipiendas. Augusta Prætoria ab Augusto Cæsare condita, hodie Osta, jacet sub Grajis & Penninis Alpibus, quæ hodie S. Bernardi Mons major & minor dicuntur: per majorem in Vallesiam transitur, per minorem in Tarentasiam. Hæc urbs caput est vallis quæ ab ipsa nomen sortitur. multæ antiquitates hodieque hic visuntur. Vallis autem duorum dierum iter in longitudinem patet, ad lævam tota frumentis consita, ad dextram vinetis exculta, quæ optima vina producunt, inter quæ facile excellit Calognense: plena habitationibus, & viculis, ut pene una civitas videatur; à natura adeo munita, tum propter aditus, & viarum angustias, tum propter habitatorum vigilantiam, ut Galli, cum vicina omnia te-

nerent, numquam ausi fuerint (inquit Boterus) hanc vallem aggredi. Metalla hic sunt auri & argenti satis absoluti. Turinum caput Taurisorum, qui à Liguribus originem ducunt, famosissima hodie urbs, tum propter Academiam, tum propter Senatum, denique Ducis Sabaudiæ aulam, vastior olim fuit, sed Galli de amplitudine minus solliciti fuerunt, ut munitiorem facerent. Iacet (inquit) Leander ad montium radices, forma quadrata, cum portis quatuor; situ valde opportuno ad res Italicas, haud procul à Pado; unde & Romani coloniam huc deduxerant, & Lombardi sedem unius ex quatuor Ducibus constituerunt. Arcem habet pentagonam, ab Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce cõditam. Dux Carolus Emanuel qui hodie rerum potitur, vivario illam decoravit, quod quinque aut sex M ambit, longe amœnissimo situ, cincto undique à Pado, Duria & Stura, pleno nemoribus, lacubus, fontibus, & omni genere ferarum, quas Dux undique huc conduxit ad filiorum suorum exercitium & oblectamentum. Vix quarta milliaris parte ad ripas Padi, mons se attollit, qui propter incredibilem sinuum varietatem (nam hic se attollit, illic

illic declinat, hac se exserit, illac se recipit; ubi aquæ scaturiunt, ubique optimos fructus fert, & præsertim vinum,) aureus appellari meretur: tanta ibi villarum & prædiorum, viridariorumque copia, ut alterum Taurinum esse videatur. Quia autem jam Duriæ amnis aliquoties mentionem fecimus, non abs re fuerit è Thuano annotasse, duos hoc nomine esse amnes ex Alpibus in subjectam planiciem descendentes, & regionem vulgo Canarensem dictam utrimque ab ortu & occasu claudentes, quorum is qui Duria Bathea appellatur in Padum haud longe à Crescentio exoneratur, alter, qui DuriaRiparta, & juxta Druentiæ contrario cursu Occidentem versus tendentis & inRhodanum influentis fontes oritur, per Segusionem decurrens, tandem in Padum consimiliter paulo infra Augustam Taurinorum mergitur. Mondovi (quam sub Conrado Imper. ædificatam volunt) eminenti colli insider, suburbanis hac illac deductis; majora autem ad radicem collis jacent super fluv. Ellam, qui duobus ab hinc milliar. in Tanarum influit: populosissima est omnium urbium Pedemontii. Agrum habet amplissimum, vini, qua in colles assurgit, fru-

frumenti, qua in planiciem ſternitur, ferax. in clivis caſtanearũ maxima eſt copia. Oppidani breves & conciſi ſunt ſermone, elati animo, manu promti, nobilitatis ambitioſi. Superãt inter eos factiones Guelforum & Gibellinorum, in reliqua provincia plane exſtinctæ. Vnum ſuburbiorum appellatur Vico, à quo nova devotio in ſanctiſſimam Virginem nomen accepit, cui Dux hodie templum ædificat, & in eo Capellam, (in qua inpoſterum Duces omnes ſepeliri vult,) & materia & arte magnificentiſſimam. dum autem hac occaſione ſolum altius effoderetur, venæ pulcherrimi marmoris apertę fuerunt, & maxime nigri, quibuſdam venis interſperſis, quæ metallis relucent. Foſſanum, nuper à Duce Caroło Emanuele in Epiſcopatum erectum, ſitum eſt in colle ad ripam Sturæ, in medio agro optimi frumenti feraciſſimo, cujus quotannis hîc ſupra centum millia ſaccorum colliguntur. Et quia multis alveis irriguus eſt, etiam paſcuis abundat & pecore atque animalibus. Inter cætera ædificia peropportunum habet caſtellum. Salutiarum civitas in amœno clivo ſub Alpibus poſita, caput eſt Marchionatus, cui Padus ſuam originem debet. Modicæ amplitudinis eſt

cum

cum amplo castello, ubi commodissima hospitia sunt, tam æstivis, quam hybernis mensibus. Aëre gaudet temperato; unde in hortis & viridariis hic felicissime proveniunt omnes fructus regionis Genuensis. Oppida præcipua hujus Marchionatus sunt Dronero & Carmagnoala. illud commercia habet cum Provincia Galliæ; & plurimi hîc mercatores reperiuntur locupletes, qui ferramentis & armentis rem faciunt: hoc vero veluti in centro Pedemontii situm & propter ambitus amplitudinem & incolarum frequentiam, atque opes commerciorumq; abundantiam, civitatis nomen jure sibi vendicat. Nec prætereundum fuerat Ranellum, arx magni momenti; nec Dogliani, optimi vini ferax, per quod maxima commerciorum commutatio fit inter Pedemontium, & Rivieram, id est, territorium Genuense: Verzel, Manta, Pagni, generoso vino nobile, & ditissima Abbatia Staffarda. Marchionatus hic, cum aliquot oppidis Provinciæ Trans-Alpinis, superioribus annis à Duce Carolo Emanuele unitus est Pedemontio; quo non modo Dominiis suis securitatem attulit, sed & Christiani orbis paci magnum momentum; nam hoc facto omnium adituum dominus

effectus

effectus est, quibus Galli in Italiam possunt transcendere, & territoriis ipsius incommodare. Et licet plus terrarum Gallis pro ipso condonarit, tamen plus potentiæ sibi acquisivit, & majorem sibi peperit securitatem. In Pedemontio præter civitates sunt circiter ducenta quinquaginta oppida muris cincta, inter quæ sunt multa quæ civitatibus vix concedunt; qualia sunt Biela, Chieri, Cuni, Susa, Anilagna, Rivoli, Pinarolo, Moncalceri, Carignano, Racconigi, Cheraſco, Bene, Villafranca, Vigon, Pancalieri, Busca, Barge, Giavenno, Saviglione, Cera. Biela & Penavolo sub Alpibus utraque sita sunt, in areas, clivos & planities divisa; sed Biela amplissimum est ambitu, ædificiis nobile, inter quæ excellunt conventus S. Hieronymi, S. Dominici & S. Sebastiani; oppidani illius ingenio sunt acri, attenti ad rem, & haud facile in mercium commutatione se decipi patiuntur. Pinarolium arcem habet quantivis pretii, quæ toti vicinæ valli dominatur, & agro tam bene vinetis exculto, ut non metuendum sit ne umquam vina illis deficiant. Multi ibidem panni texuntur. Cherium à Friderico Barbarossa titulo maximæ villæ decoratum fuit; & re-

vera

vera talis est, tum propter nobilitatem Ecclesiarum, conventuum & omnis generis ædificiorum, tum propter opes incolarum, tum ob soli ubertatem, tum maxime ob singulorum illorum industriam. Multæ hic familiæ nobiles, multi mercatores opulenti. Cuni jacet inter Sturam & Giessum, è quo tot canales derivant incolæ, ut agrum suum alioquin infæcundum & saxosum, fertilem reddant. Abundant castaneis, inter quas frumentum suum serunt, ita ut ex eodem agro duos fructus ad vitam hominum utiles colligant; nec desunt vineta, aut prata amœna & florida. Oppidani sunt satis industrii, & in tribus obsidionibus suam fortitudinem atque animositatem satis probarunt. Susa quondam maxima fuit & magni momenti, sed à Frederico Barbarossa capta atque direpta, antiquum splendorem & opes nondum potuit recuperare: Situ est maxime opportuno; nam ab ea duæ viæ se dividunt, quarum una per Alpes Brigantionem ducit, altera per Sabaudiam Lugdunum: plurimum vini producit, quod in Delphinatum & Mauriennam traducitur: ab hac item mella Susina nomen acceperunt, quæ magni fiunt. Avigliana sive Aviliana perlautum

lautum & opulentum est oppidum, cum agro in colles, convalles & planitiem divisо, & arce quæ impetum Gallorum tempore Ducis Caroli, aliquanto tempore sustinuit. Arx hæc clivo exigui montis adhæret, habetque fontem jugiter scatentem. Rivoli commendatur bonitate aëris, agrique amœnitate, maxime vero natalibus Ducis Caroli Emanuelis, qui in Castello, ubi primum lucem aspexit, multa atria, porticus aliaque ędificia molitur. Mons Caserius, hodie Moncalieri, præter amplitudinem, ob vini excellentiam multum celebratur, quemadmodum & vicinum Roviliascum, hodie Revigliasco, & loca secus Padum sita, Gassa, S. Maurus & S. Raphaël. Carinianum celebre est propter arcem & obsidionem Gallorum quam sustinuit, agri fertilitatem, illustres nobiles, qui hic cœnobium nobilium monialium instituerunt. Cherascum rectitudine & amplitudine platearum spectabile: Bene, munitissimo situ, aëris salubritate, & incolarum industria atque fortitudine nobile: Racconigi, serici abundantia, palatio, piscinis, ambulacris à D. Bernardino Sabaudio factis: Vigoni, Pancalieri & Villafranca, soli ubertate. Busca titulo unius è septem Marchio-

chionatibus, qui ab Aleramo descendunt. Barga multitudine moletrinarum, & aliarum machinarum; armorumque fabrica. Giavenna non tam armorum fabrica, quam aliorum ferramentorum, quorum hic officinæ sunt supra triginta. multæ insuper hic telæ texuntur. Savigliano pulchritudine arcæ ante Monasterium S. Benedicti, & oppidanorum industria commendatur. situs autem illius talis est, ut Carolus V hac transiens cum exercitu versus Provinciam, dixerit, numquam se vidisse locum magis aptum ad quantumvis exercitum alendum; & Dux Emanuel Philibertus aliquando in animum induxerit hic sedem suam figere & urbem Provinciæ metropolim facere. Briqueraſcum, famosum semper erit, tum situs sui opportunitate, tum virtute D. Caroli Emanuelis, qui oppidum à Gallis interceptum & communitum, asperrimæ hyemis tempestate recuperavit; uti & Cavortium.

Briqueraſcum (inquit Thuanus lib. CIII) municipium est XVI tantum milliaribus Italicis ab Augusta Taurinorum, infra Lucernam in faucibus Babianæ vallis, loco omnium rerum feraci positum. Cavortium locus est

ad Pellam amnem, qui Cluſonem, unde dicta vallis Cluſonia, haud longe à Vigone excipit, lateritio muro cinctus, ad radices montis, vice arcis ſive ſpeculæ à natura ſubjectis late campis impoſitus. In ſummo rupis faſtigio arx undique inacceſſa prominet: Turris Gramafana vulgo dicta arci oppoſita eſt, ab ea c circiter paſſus diſſita, collimanti ad rectum ſtructa, ut eam tegeret, de cætero in ſaxo undique inciſo fundata, ſemilunæ ſpecie, ut in illam aliunde deſpectus non ſit. Porro Ceva caput eſt nobiliſſimi Marchionatus, quo viginti quinque municipia continentur; comprehenditque inter alia vallem Tenari, ſupra quam Ceva ſita eſt, & Bagnaſco, Garoſſio, Ormea, à qua xv milliar. Tenarus è maximo fonte oritur; cætera oppida hac illac ſparſa caſtaneis & animalibus abundant; quibuſdam locis & vinum fit, præſertim Prieri longe ſuaviſſimum. E dominio Cevæ tranſitur ad Mairum, & Onegliam, capita convallium ita floridarum & tam bene cultarum, ut horti eſſe videantur, incolis ita frequentium ut civitas videatur; fructuum denique & præſertim olei optimi fœcundiſſimarum, ita ut illarum beneficio Pedemontium oleo extraneo opus

opus non habeat. Sed rursus montibus superatis, nimis longum esset, singula oppida persequi; præcipua tantum delibabimus. Hic primũ descendentibus occurrit Malazano, & transvadato per Clusa, Bernete, Trinitas & Monta; & ad Sturam Grana, caput convallis. Cental à Tribuno Equitum Bellogardio munitum; Polenzo, Genola, Carai; & inter Mairam & Varum, Cavelamor, Casalgrassò, Cavallione, Castagnole, & Ruffia. Inter Gilben & Padum Moreta, Scarnafis, Legnasco, Irasca, Villar. Inter Padum & Pellam, Carde, Staffarda, Cavor, Garsigliana, Villar de Bobbi; haud procul hinc Lucerna visitur, caput famosi Comitatus & ampliſſimæ vallis, quam supra viginti millia hominum incolunt; ultra quam jacet Berosa cum sua valle. Trans Pellam autem jacent, Chisola, Scalenghe, Cercenaso de dominio Roverorum, Lombriasco, Cumiana, Rosazco, Orbazano: & inter Sangonem & Duram, Arpignano, Colegno, Monsterolo. Sequitur dein vallis Stura, & magis inferius gratiosum municipium Ciriè: Tum vallis Pontana intratur, ubi Cornie & nobilis Valperga visitur; & paulo inferius ditissima Abbatiâ Sti Benigni; Inter Orcam & Chuiselam

variæ arces, & ad extremum munitiſſimum oppidum Chivas: & trans Duram, Santia, Maſin comitatus illuſtris, Cilian, Creſcentino amœnum caſtellum & fertili territorio: Stropiana, S. Germano, Santia infelici Ducis Albani obſidione celebris, & ſuperius Candel oppidum ſexcentorum focorum, Andorno mille & trecentorum, Dioglio mille & trecentorum; Mos ſexcẽtorum, ubi plurimi panni texuntur. Gattinara generoſo vino nobilis. Hoc oppidum conditum fuit ab Arboreis, qui inde nomen ſortiti, ejuſque uti & vicinorum aliquot locorum multis ſeculis domini fuerunt; & tempore diſcordiæ inter Fredericum Imper. & Pontifices Romanos ſe jugo Imperiali ſubduxerunt, & ita perſtiterunt, donec aviditatem & potentiam Ducum Mediolanenſium veriti, ſub alis Ducum Sabaudiæ ſe abſconderent, tempore Amadei I Ducis. Cis Padum viſuntur Bra ſexcentorum & plurium focorum, Caramagna, Somarina, Ciereſole; Villalltellon, Poerino, Villa nova, arx notabilis, & frumento abundans: Cannelli, Curtemilia, quam Bormia in duas partes ſecat; arcem habet impoſitam, ac ſubjectum ſuburbium trans fluvium; citra flu. ſub arce cœnobium

nobium jacet; fluvius latericio ponte transitur, inquit Thuanus. Sequitur inde orbis castellorum, quæ ad Comitatum Astensem pertinent: & superius Cocona, Comitatus, qui paucis ab hinc annis Sabaudo accessit industria Ducis Caroli Emanuelis.

Nobilissimus Nizzæ Comitatus patet in longitudinem viginti duas leucas, in latitudinem undecim; intra Varum amnem (trans quem tamen aliquot loca possidet,) Delphinatum, Pedemontium, & Territorium Genuense. Licet autem solum sit asperum & montosum, tamen ita cultum est, ut nulla re indigeat (nisi quod urbs Nizza frumenti indigens sit.) asperitate autem regionis fit, ut multa hic sint loca munita à natura & ab arte, multi angusti calles, ubi decem milites vel decem millium impetum sustinuerint, qualis ille quem vulgo vocant Donzellam. Dividitur Comitatus in quatuor Vicariatus, quorum capita sunt Nizza, Poggietto, Barcelonetta & Sospello; cui adjungi potest S^ti Stephani oppidum cum sua valle, quod licet Vicariatus nomine minime insigniatur, tamen per se gubernatur. In hisce Vicariatibus supra triginta oppida numerantur, quorum quædam breviter

perſtringemus. Famoſiſſimũ oppidum Villafranca propter portus opportunitatem, quem antiqui Herculis Monœci portum dixerunt. Sequitur Eſa, dein Torbida Pertinacis Imper. patria: reliqua ſunt Contes oleo & caſtaneis abundans, Pelia vino, frumentoque & oleo optimo; Sangrio, ubi munitiſſima arx viſitur: Porro Briga quadringentorum aut 500 focorum, vino albo, frumento, melle optimo, pecoribus dives: hic & manna, agaricum, terebinthina aliaque ſimplicia colliguntur: Vallem illius permeat Livenza amnis, qui è fonte ortus brevi ſpatio augetur, rurſuſque ſe abſcondit & deficit. Lantuſca: San Dalmatio: Boglia caput ditis Comitatus, ubi frumenta & legumina abunde creſcunt, vina aut oleum nequaquam. Poggietto limitanea Provinciæ, itaque præſidio militum munita. Barrelonetta, caput vallis, & mercimoniis florens. Soſpello bellum oppidum & eleganter ſtructum, fontem habet cujus aquæ è vicinis montibus deducuntur. Nizza pulcherrima urbs & munita & populoſa; domus habet altiſſimas, plateas rectas, incolas urbanos, perpolitos, & pariter militiæ atque mercaturæ peridoneos: cincta eſt firmiſſimis muris

& ſo-

& solidis propugnaculis. à vallo illius se attollit mons qui circiter tertiam milliaris partem occupat, clivis præcipitiis, & abruptis, supra quem antiquitus bona pars civitatis fuit, Ecclesia cathedralis, Episcopi Domicilium, Monasterium Virginum, & exigua arx quam hodie vocant Dongione. hunc locum Dux Carolus ita muniverat, ut anno CIↃ IↃ XLIII impetum Turcarum & Gallorum fortiter sustinuerit. post illa multis operibus adjunctis longe munitissimus factus est, ita ut hodie tam munitionum excellentia, quam situs opportunitate inter Galliam & Italiam (distat enim à Genua CXX, à Massilia autem CXXX mill.) potius primum quam secundum locum sibi vendicet, & haud dubio Italiæ propugnaculum censeri debeat. Munitionibus autem Caroli, Emanuel Philibertus adjunxit illam quę vulgo Citadella appellatur, qua illum locum complexus est, ubi Galli tormenta sua disposuerant cum urbem obsiderent. Dux hic ut plurimum alit præsidiarios quadringentos. Inter Nizzam & Villamfrancam æquali pene intervallo jacet castrum S. Albani. Ad locorum autem firmitatem accedit fides oppidanorum erga principem

ſuum, & ſingularis in bello fortitudo, quæ tum anno cIↃ IↃ XLIII, tum cIↃ IↃ C enituit. Emporium præterea ſingulare eſt. nam merces omnis generis tum è ſuo, tum è vicino agro ad vicinas & longinquas provincias tranſportat, unde maximus vectigalium annuus redditus, & qui expenſas longe ſuperat, oleum, vinum, omnis generis fructus, legumina, telas, retia, chartam, pannos rudiores varii generis, piſces muria conditos, mel, materiem è laricib. & abietibus ad antennas & malos, qui maximo pretio Genuæ venduntur; denique nulla eſt civitas inter Genuam & Maſſiliam quæ adeo mercibus & opibus abundet. Cum Nicæenſi Comitatu conjungitur Tendæ Comitatus, ita ut ad Cunium oppidum pertingat. Per quatuor loca è Pedemontio in hunc Comitatum tranſitur, per montem del Corno ut vocant, quæ via ad Tendam ducit, per montem Feneſtræ, quæ S. Martinum; per Arnuovam ſupra Vaudiere, & per Argenteram, quæ Barcelonettam petit. Hactenus è Botero, paucis exceptis quæ ex aliis interſeruimus.

Hactenus percenſuimus ea quæ Dux Sabaudiæ in Sub-Alpina regione atque Italia poſſidet; idem quoque extra

Italiam

Italiam bonam partem possidet illius regionis quam Allobroges olim tenuerunt: de qua ita scribit *Vander Burchius*; Antiqua & rerum gestarum gloria illustris claraque admodum in Gallia Narbonensi gens est, quam Allobroges ab Allobroge Rege veteres dixerunt. In hac Vienna (ad Rhodanum sita civitas, Delphinatus hodie metropolis) principem olim locum tenuit; nunc Chamberinum, aliis Chamberiacum, vulgo Chamberi; in qua urbe Senatorius ordo (Parlamentum vocant) sedem habere solet, seu dignitati urbis id, quod reliquas omnes antecellat, seu loci opportunitati datum est. Eum populum illique finitimos Salienses (vetus quoque illa & bello inclita gens, quam Salusianos appellant nonnulli) & quicquid terrarum eorum ambitu clauditur, Sabaudiam majores nostri dixere. Solum enim cœlumque & ingenia cultusque hominum haud multum à Sabaudia differunt. Cæterum haud procul admodum à Lugdunensi oppido Sabaudiam oriri & ad Genevam usque Pedemontiumque extendi, Delphinatumque finitimum habere, in confesso est, scriptorumque omnium constanti asseveratione à Sabatiis Vadis populisque

(qui inter Alpes Ptolemæo positi, Sabaudiæ plerique omnes nunc parent Duci) nomen accepisse perhibetur. Præter prædictos autem Allobrogos Salienses que, agros nunc tenet qui Vocontiorum, Veragrorum, (Episcopo, qui late imperitat & jus gladii habet, hic paret populus) Caturigum, Centronum, Lepontiorumque (qui Alpibus vicini omnes). quondam fuere. Vocontiis ac mõti Cinesio proximum est oppidum Civario, Bivario aliis, quo initio belli civilis legiones Cæsar traduxit, cujus etiam Plinius nepos in Epistola quadam meminit, & Vivariensis hodie appellatur civitas. hæc ille. Cæterum bonam hujus regionis partem Dux Sabaudiæ Regi Galliarum superioribus annis cessit, de qua transactione mox dicemus. Pars autem hujus regionis Cisalpinæ olim Maurienna dicta fuit, cujus nomen hodieque Ioannis Fanum servat. Ioannis Fanum (inquit Thuanus) in Maurienna, civitas est undique aperta, regionis metropolis, Episcopali sede ornata, in planitie, ut inter montes, satis ampla, quæ tres valles concurrentes aspicit, quarum una prærultis montibus intersecta ad Burgum Oslanum ducit, v leucis dissitum, secunda ad Cenisium montem

montem pertinet, tertia Confluentem & Mommelianum respicit. Civitas tribus pontibus à Camera venientibus aditur.

Vt autem Sabaudiæ, qua Galliam attingit, limites hodierni melius intelligantur, postremas pacis cum Henr. IV Gall. Reg. à Sabaudo initæ conditiones hic ex Thuano subjiciam: is lib. cxxv ita scribit:

Omnis intra Rhodanum à Geneva urbe tractus, ipso fluvio comprehenso, ad ditionem Francicam cum omni jure supremi Dominii deinceps pertineat. tantum pro transitus in Sequanos commoditate, pons Gresini inter Clusuras & Arbiæ pontem, cum designatis aliquot pagis, Sabaudo reservetur: ea lege, ut nullum vectigal imponere aut toto illo tractu ullum propugnaculum exstruere possit. Burgi arx bona fide Regi tradatur, cum tormētis & omni bellico apparatu, & annona trans Rhodanum. præterea Seissellium, Daira, Chaussium, Arlæpons, Chava castellum cum omni sua jurisdictione Regi cedant. præterea Genevensis præfectura cum omni territorio ac pleno jure, sicuti iis Sabaudi decessores usi ac fruiti sunt. quæ omnia regio patrimonio ita lege regni uniantur,

tur, ut ab eo alienari deinceps non possint.

Habet præterea Dux Sabaudiæ in territoriis suis multas arces, & loca, tam à natura, quam industria, munitissima; & quidem qua Galliam attingit; Confluentiam in concursu Arcæ & Isuræ positam ad servandum aditum, ex quo in Tarentasiensem vallem descenditur; inde Miolanum castellum saxo arduo impositum undique prærupto, quod Isaram subjectum despicit; tum Turrem Carbonariam, quæ munitio aditum in Moriennensem vallem servat, in montium faucibus; quæ per convallem porrectæ ad Cenisium montem desinunt: locus est Beraldi Saxonis primi Moriennæ Comitis & familiæ Sabaudicæ conditoris, primum domicilio, ac postea Thomæ Humberti III F. cunis memorabilis, ad Isaram saxo undique inaccessibili, nisi qua per callem angustum ad Porteriam itur, situs, domicilio præterea Comitum Sabaudiæ, cum primum in hanc provinciam migrarunt, nobilis. Huic subest Aquæ-bellæ municipium. Inter omnes autem arces excellit Monmeliani. arci veteri nova munitio spatiosior circumdata est, quæ summum tastigium rupis, cui imposita est, ambitu

ambitu ſuo complectitur, quinque propugnaculis egregie firmata, quorum tria præcipua municipium ſubjectum reſpiciunt, qua parte & foſſam habet: qua, propter Sacri prærupti ſitum, prominentibus ſubſtructionibus muniri non potuit, forcipes artificiosè ducti, qui vice propugnaculorum ſunt. ad meridiem Iſaram habet, qui in Sabaudiam ulterius perrecturis ponte tranſmittitur. ab adverſa parte altiſſimis montibus cingitur, ad quorum radices collis imminet vitibus conſitus, acceſſu difficilis. Arx diu inexpugnabilis credita, quam tamen Rex Henr. IV anno cIↃ Ↄc expugnavit, ſubductis in collem illum machinis, quod hactenus impoſſibile creditum fuerat.

Superioribus annis quæſtio mota fuit Duci Sabaudiæ, à Duce Mantuano, de prærogativa dignitatis, quam ſibi parem cum Sabaudo Mantuanus hodie vendicare conatur: hujus controverſiæ occaſione anno 1622, ab utraque parte ſcripta prodierunt, quæ in x tomo Mercurii Gallicè extant, prout in Italia fuerunt impreſſa; è quorum uno qui à parte Sabaudi prodiit, hæc ad noſtrum inſtitutum excerpſimus: Iam ſexcentos eſſe annos,

ex

ex quo familia Sabaudiæ rerum potita fuerit in suo Principatu; à Beraldo quippe Saxone XXVIII Principes numerari, nimirum XVII Comites, quorum IX simul Duces Chablasii & Augustæ fuerint, & deinceps XI Duces Sabaudiæ; quibus si addantur IX illi Chablasii, omnino XX Duces fuerint; præterquam quod Ludovicus etiam Rex Cypri fuerit. Eadem familia diversis temporibus connubio juncta fuit cum summis Principibus, octies nimirum cum Imperatoribus, quatuor quidem orientis, totidemque occidentis; quinquies cum Regibus Franciæ, decies quater cum Principibus regii sanguinis in Francia, quinquies cum domo Austriaca, (comprehensis Imperatoribus & Regibus:) Semel cum Rege Arragonum; bis cum Regibus Castellæ & Legionis: bis cum Rege Portugalliæ: semel cum Regibus Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, Cypri, & Bohemiæ; ter cum Regibus Siciliæ & Ierusalem.

De potentia Ducis Sabaudiæ vide postremum hujus libelli tractatum. Nam qui minutim Ducis potentiam & annuos redditus describere fategerunt, longe, prudentiorum judicio, infra dignitatem illos designarunt.

Sed

Sed obiter hic obſervandum, Regem Hiſpaniarum Philippum II, per tabulas dotales inter filiam illius, & Ducem Sabaudiæ, ipſi inter alia promiſiſſe ſexaginta millia ducatorum annuatim percipienda è reditibus Ducatus Mediolanenſis; itemque octo millia ducatorum, annuatim percipienda è vectigalibus urbis Neapolitanæ; quæ utraque anno CIↃ IↃ C XIV Dux conqueritur aliquot annis ſibi minime fuiſſe ab Hiſpano perſoluta; videlicet ſexaginta illa millia ducatorum jam tum ab annis octo; octo autem millia hæc jam ab annis quatuor aut quinque occaſionem dederunt huic rei diſſidiis inter Regem & Ducem; quæ potiſſimum originem ſumſerunt è bello, quod Dux Sabaudiæ movit Mantuano in Marchionatu Montisferratenſi. nam cum Rex Hiſpaniæ, Mantuano faveret, eique per Gubernatorem Ducatus Mediolanenſis auxilium ferret, odium inter hos Principes jam ante è variis cauſis natum, in apertum bellum erupit. cui cum aliorum Principum interventu finis eſſet impoſitus, animi tamen exulcerati, numquam penitus reconciliari potuerunt: querebatur enim Dux ſe ab affinibus ſuis minus amicè habitum, quinimo

contra

contra æquitatem ad iniquas conditiones urgeri, & pœne cogi; quarum præcipuæ erant, ut Dux filiam ſuam Mantuano hoſti ſuo, nondum rite conciliato, in uxorem traderet; & conditionibus, quæ in pacis confectæ tabulis pactæ fuerant, nondum plene præſtitis, omnes ſuas copias dimitteret: quibus addebat, filium ſuum primogenitum in Hiſpania indigne & minus decore habitum; ſibique penſiones annuas præter jus faſque jam multis annis detineri; & alia hujuſcemodi. Quid multa? numquam ab illo tempore ipſi bene cum Hiſpano convenit, ſed ſemper aut infida & ſuſpicioſa pax inter illos viguit, aut apertum bellum fuit.

Præter autem Provincias, quas Dux Sabaudiæ actu poſſidet, jus ſibi competere aſſerit; primo in urbem Genevenſem. argumenta illius, cum Genevenſium refutatione, egregie explicantur à Thuano lib. cxxv, ad annum cIↃ IↃ c. quæ tractatio quia prolixior eſt, eo lectorem remittendum putavimus. Secundo in Marchionatum Montisferratenſem. rationes paulo poſt explicabimus, cum de Mantuano Duce agemus. Tertio in Achaiam; Philippus enim Sabaudus,

Thomæ

Thomæ tertii filius, filiam Principis Achaiæ, nomine Iamben, uxorem duxerat, ex qua filium Iambum ſuſcepit, qui Princeps Achaiæ factus, Amadeum filium & principatus hæredem reliquit, quo (ſicuti & fratre illius Ludovico) ſine liberis defuncto, Regina Siciliæ tanquam feudi domina jus ſibi in principatum arrogans, jus ſuum militum Rhodiorum Magiſtro ceſſit, Rhodiis denique Turcarum Imperator una cum Inſula principatum abſtulit. Quarto in Regnum Cypri & Hieruſalem, idque variis argumentis; quæ hic prolixe recenſere nihil opus eſt, cum Turca utroque jam potiatur.

Galli autem Sabaudum injuſte poſſidere ſcribunt: I. Nizzam & Villamfrancam, quondam appendices & partes Comitatus Provinciæ, quas Ioanna filia Roberti Regis Siciliæ & Comitis Provinciæ donavit teſtamentò Ludovico primo Duci Andegavenſi; vigente autem bello inter familiam Andegavenſem, & Arrogoniam, ob Regnum Neapolitanum, Comes Sabaudiæ injuſte & nullo titulo eidem familiæ eripuit.

II. Pedemontium, itidem de patrimonio Com. Provinciæ; & primo ablatum Ioannæ, anno 1363.

III. Bonam partem Comitatus Aſtenſis, quæ familiæ Aurelianenſi in dotem conceſſa fuerat cum Valentina.

IV. Marchionatum Saluciarum, qui ad Delphinatum pertinuit.

V. Magnam partem Sabaudiæ, Franciſci I Franc. Regis matri debitam, tam per contractum matrimonii à Philiberto VII initum cum ipſius matre Margarita Borbonia, quam per teſtamentum Philiberti fratris ſui; per quod ſaltē ſuccedere debebat in bona feudalia quæ fœminam nō excludunt.

Sabaudiæ Comitum & Ducum Stemma & Series è Vanderburchtio.

Anno

1000. 1. Beraldus, Moriennæ primus Dominus, Hugonis Saxoniæ Ducis filius tertiogenitus; Vxor Catharina Schirēſis Palatina. Hic obiit anno cIↃ xxvii.

1027. 2. Humbertus I Beraldi F. primus Moriennæ Comes; uxor Adelis ſive Alexia Seguſiani Marchionis filia & unica hæres.

res. Obiit anno cIↃ. XLVIII.

1048. 3. Amadeus I Humb. F. Cui uxor Ioanna Burgunda Guilielmi Com. fil. Obiit anno cIↃ LXXV.

1076. 4. Humbertus II Amad. F. Cui uxor Laurétia Com. Veniciarum F. Hujus filia Adelis Ludov. Crassо Gall. R. nupsit. Obiit anno cIↃ c IX.

1109. 5. Amadeus II Hum. II fil. primus Sabaudiæ Comes: liberos suscepit è secunda uxore Guigonia Albonia Guigonis II Comit. & Delphini Viennensis F. Obiit an. cIↃ c LIV.

1154. 6. Humbertus III Amad. II fil. Cui tres uxores fuerunt. I[a] Mathildis Fland. Com. fil. II[a] Anna Salingea. III[a] Pernella Burgund. C. fil. Obiit cIↃ cc I.

1201. 7. Thomas Humb. F. Cui uxor Beatrix Genevensis Com. fil. Obiit ann. cIↃ cc XXXIII.

1233. 8. Amadeus III Thom. fil. uxor Anna Albonia Guigonis Com. & Delph. Viennenſis. & poſt hanc Cecilia Com. Provinc. fil. Obiit an. cIↃ cc XLVI.

1246. 9. Bonifacius Amad. III fil. cælebs mortuus anno cIↃ cc LVI.

1256. 10. Petrus Thom. F. uxor Leonora Foukignia. obiit ann. cIↃ cc LXVIII.

1268. 11. Philippus Thom. fil. Petri frater: cui uxor fuit Alexia Merany Com. fil. Obiit ann. cIↃ cc LXXXV.

1285. 12. Amadeus IV Thomæ è Thoma filio N. ei fuerunt uxores duæ; Sibylla Breſſana; & Maria Ioannis Brabant. Duc. fil. Obiit cIↃ ccc XXIII.

1323. 13. Eduard. Amad. IV fil. cui uxor Blanca Burgund. Obiit ann. cIↃ ccc XXIX.

1329. 14. Amadeus V Amad. IV fil. uxor prima Iolanda Palæologa; ſecunda Catharina Luxenburg. Imperat. Car. IV fil. Obiit ann. cIↃ ccc XLII.

1342.

1342. 15. Amadeus VI Amad. V fil. uxor illi fuit Bona Borbon. D. filia. obiit ann. clɔ ccc LXXXIII.

1383. 16. Amadeus VII Amad. VI fil. uxor Bona Biturigum D. fil. Obiit clɔ-ccc XCVII.

1397. 17. Amadeus VIII Amad. VII fil. primus Sabaudiæ Dux. uxor Bona Philippi Burgund. D. fil. Papa electus anno clɔ.cccc XXXIX. Obiit anno clɔ cccc LII.

D. 1.

1439. 18. Ludovicus, Amad. VIII fil. uxor illi fuit Anna Lusignana Cypri R. filia. obiit clɔ cccc LXVI.

D. 2.

1466. 19. Amadeus IX Ludovici fil. cui uxor Iolanda fuit Car. VII Gall. R. fil. Obiit ann. clɔ cccc LXXI.

D. 3.

1471. 20. Philibertus I Amad. IX fil. cui uxor Blanca Maria Galeatii Mediolan. D. fil. Obiit anno clɔ-cccc LXXXII sine liberis.

D. 4

1482. 21. Carolus I Amad. IX fil. cui uxor Blanca Maria Guilielmi Montisferrat.

D. 5.

fil. Obiit ann. cIↃ cccc LXXXVIII, ut alii, cIↃ cccc XC.

1490. D. 6. 22. Carolus II Caroli fil. Qui ſine uxore & liberis deceſſit annⁿ. cIↃ cccc XCVI.

1496. D. 7. 23. Philippus II Ludovic. fil. Vxor prima Margareta Caroli D. Borbon. fil. Secunda Claudia Breſſeſia. Obiit cIↃ cccc XCVII.

1497 D. 8. 24. Philibertus II Phlipp. II fil. Cui uxor Margareta Maximil. Imp. fil. Obiit anno cIↃ IↃ IV.

1504. D. 9. 25. Carolus III Philippi II fil. Cui uxor fuit Beatrix Emanuelis Portugalliæ Regis fil. Obiit anno cIↃ IↃ LIV.

1554. D. 10. 26. Emanuel Philibertus Car. III fil. Cui uxor fuit Margareta Franciſci I Gall. Reg. fil. Obiit ann. cIↃ IↃ LXXX.

1580. D. 11. 27. Carolus Emanuel, Emanuelis Philiberti fil. Cui uxor fuit Catharina Philippi II Hiſpan. Reg. fil. ex Iſabella Henrici II Gall. Reg. filia prognata: è

ta: è qua quinque filios ſuſcepit; Philippum Emanuelem, Victorem Amadeum, Philibertum, Mauritium & Thomam; & quatuor filias, Margaritam, Mariam, Iſabellam, & Catharinam. Anno denique cIↃ IↃ cxix, Victor Amadeus, Princeps Pedemontii, duxit in uxorem Chriſtinam ſecundogenitam Henrici IV Gall. Regis.

Alia Comitum & Ducum Series è Gallico authore anonymo.

HVmbertus, I Com. Moriennæ. huic ex Ancilia (incertæ familiæ) fuit natus

Amadeus, I Comes Sabaudiæ. huic ex Adela Marchionis Seguſiani filia natus ſucceſſit

Amadeus II, de quo dubitatur an conjugatus fuerit; illi ſucceſſit

Humbertus II frater, cui fuit uxor Giſla filia VVilhelmi II Comitis Burgundiæ, & filius

Amadeus III, cui fuit uxor Mathildis filia Com. Alboniæ, & filius.

Humbertus III; cui fuit uxor Beatrix filia Gerardi Com. Viennæ, &c. è qua ipsi natus fuit Thomas I, qui rapuit filiam Com. Genevensis, & ex illa susceptit Bonifacium I, & Thomam Comitem Moriennæ.

Bonifacius I obiit sine liberis. successit

Petrus Bonifacii patruus. huic fuit uxor Anna Foukignia; & nulli liberi. successit

Philippus I illius frater; qui & sine liberis discessit; & successit

Amadeus IV, Thomæ Com. Moriennæ filius; qui duxit Sibyllam Bressanam; alii ipsi tribuunt conjugem Annam, filiam Andreæ Burgundi Delphini Viennensis. Huic successit

Eduardus I filius, qui duxit Blancam Roberti II Burgund. Ducis filiam, è qua tantum unicam filiam susceptit; quam

Amadeus V patruus successione exclusit. huic fuit uxor Iolanda marchionis Montisferr. filia; è qua natus

Amadeus VI. uxor Bona Petri I Borbon. Duc. fil. è qua natus ipsi

Amadeus VII, uxor Bona Biturigum D. filia; è qua ipsi natus

Ama-

Amadeus VIII, primus Sabaudiæ Dux: uxor filia Philippi Audacis D. Burgundiæ. è qua ipsi natus

Ludovicus; uxor Anna filia Reg. Cypri; è qua illi natus

Amadeus IX, qui duxit Iolandam Ludovici XI Reg. Franc. sororem; è qua natus

Philibertus I; uxor Blanca Maria, Galeatii Mediolanensis D. filia; è qua nullos liberos suscepit. successit

Carolus I, ejus frater; uxor Blanca filia VVilhelmi march. Montisferrat. è qua natus

Carolus II, qui septennis obiit. successit

Philippus II, Comes Bressiæ, patris ipsius patruus. Prima uxor Margarita Borbonia; è qua ipsi nati Philibertus II; & Ludovica mater Francisci I Reg. Franc. Secunda, Claudia filia Com. de Pontieure; è qua ipsi nati Carolus; & Philippus, Dux Nemorosii, & Comes Genevensis.

Philibertus II, uxor Margarita Maximil. Imper. filia. Obiit sine liberis. successit

Carolus III frater; uxor Beatrix Emanuelis Portugall. Reg. filia; è qua natus

Emanuel Philibertus; uxor Mar-

gareta Franciſci I. Reg. Franc. filia; è qua natus

Carolus Emanuel; qui nuper obiit, relinquens ſucceſſorem Victorem Amadeum, conjugem Chriſtinæ Henr. IV Franc. Reg. filiæ.

APPENDIX

DE

BOBIENSE DYNASTA
Vaſallo Ducis Sabaudiæ.

IN Commentario de Principibus Italiæ, pag. 44, mentio fit Dynaſtæ Bobienſis; de quo hic pauca adjungere viſum fuit. Hannibal Grimaldus, Comes & Baro Bobienſis, anno 1617, ob bellum, quod inter Ducem Sabaudiæ & Regem Hiſpaniarum gerebatur, ſe ſub protectionem Regis Galliarum dederat; & bello jam extincto numquam in gratiam Sabaudiæ Ducis redire potuerat. verum Dux per Senatum Nicenſem cauſam illius cognoſci voluerat. à quo cum eſſet condemnatus, una cum filio ſuo, & bona illius omnia fiſco Ducis addicta; Dux per Gubernatorem Niceæ eundem capi & capite plecti curavit, & ingentes opes, tam in parata pecunia, quam monilibus

nilibus & ſupellectile, quæ in caſtellis illius Aſcros, Thodon, Tourette, & aliis, inventa fuerunt, eripuit. Varii de hoc judicio & ſupplicio ſermones fuerunt. Nam multi contendebant, filium, qui in Gallia filiam Vice-Comitis Tavanes & Ducis Maynii neptem uxorem duxerat, paternis bonis exui non debuiſſe. Et à Duce Maynio & aliis affinibus & amicis Comitis libellus Duci Sabaudiæ fuit oblatus; quo petunt, filium in bona, quæ progenitores illius jam ſupra ſexcentos annos poſſederant, reſtitui. 1. Quia progenitores tam bene de Ducibus Sabaudiæ meruere, ut unius culpa huic obeſſe non debeat. 2. Præſertim quia hic numquam Hiſpanorum partibus favit, neque parentis ſui ſcriptis aut factis conſenſit, imo potius obſtitit quantum valuit. 3. Quia iniquum eſt, filium propter parentis delictum bonis iis privari, quæ à majoribus per ſubſtitutionem deſcendunt. 4. Quia pœna mortis ſufficere debet; & Principibus familiare eſt, filiis innoxiis bona paterna relinquere aut certa conditione reſtituere. 5. Propter ampliſſimas & potentiſſimas familias, quas hic filius, tam à parte matris, quam uxoris, attingit; &c. Dux autem Sabaudiæ

baudiæ respondit; filium non minus nocentem fuisse quam patrem, & utrumque legitimo & justo judicio condemnatum; licet nequaquam novum sit in criminibus læsæ Majestatis, etiam hæredes & descendentes propter delicta majorum puniri.

Porro eorum quæ Comes Bobiensis cum Hispanis egerat præcipua capita hæc sunt. Anno 1616 1. Rex Catholicus, Comitem & successores illius, atque subditos, recipit in patrocinium, illosque contra D. Sabaudiæ & omnes omnino Principes proteget & defendet; vicissim Comes partes Hispanicas sequetur adversus quoscunque. 2. Rex Catholicus daturus est Comiti 4000 militum, & argentum ad totidé conducendos; & Comes promittit intra trimestre spatium Regi tradere civitatem, arcem & Comitatum Nicæensem; Rexque Comitatum & subditos omnes Comiti tanquam Domino absoluto relinquet, excepta solum civitate Nicæa, Villa franca, Sospetto & duobus aut tribus aliis locis; quorum tamen Comes & Successores illius perpetuo Gubernatores existent. 3. Rex Cathol. annuatim & in perpetuum Comiti pendet 10 mill. coronatorum. 4. Comes à Rege accepit per deputa-

tos

tos suos 12 mill. coronatorum. Cum autem aura hujus rei ad aures Gall. Reg. accidisset, & Comitem monuisset ne se cuiquam præterquam sibi adiceret, pœnitere facti videri voluit, sed nihilo secius cum Hispanis egit, & etiam quædam in præjudicium Galliarum Reg. clam molitus est; quæ hic referre longum esset; plenius autem commemorantur in confessione D. Honorati Malbequii, quam Auctor Mercurii Gallici tomo VII inseruit. Quid multa? Comes Bobiensis hoc pacto se suosque perdidit; & Dux Sabaudiæ compos est factus illius Comitatus, qui inter Galliam & Sabaudiam, qua Nicæensem provinciam attingit, pene medius est.

VI.

DE MAGNO HETRVRIÆ DVCATV.

DVcatus hic tres respublicas, olim liberas, complectitur; Florentinam, Senensem, & Pisanam; eoque modo majorem & meliorem partem Etruriæ, partem aliquam

quam Romagnæ, quam vulgo vocant *la Romagna Fiorentina*, in Vmbria Burgum S. Sepulchri, cum territorio VII mill. ita ut longe nobiliſſimam Italiæ partem occupet, idque in ipſo veluti meditullio Italiæ; undique aut altis montibus incinctam, aut mari & plurimis munitiſſimis arcibus circumſcriptam. Poſſidet præterea in mari Tyrrheno inſulas aliquot; Illyrium, vulgo *del Giglio*; Gorgonam; Scopulum Meloriæ; & in Elva portum Ferrarium; itemque Coſmopolin.

Dividitur principatus vulgo in Dominium vetus & novum; quorum illo Florentina & Piſana Reſp. comprehenduntur, hoc Senenſis, cum aliis acquiſitis. Princeps autem dominia hæc utraq; diverſo jure poſſidet. Nam vetus Dominium abſolutum eſt, & liberum, nullique obnoxium; quam libertatem à pluribus Imper. jam olim impetravit: Novum autem magna ex parte in feudum tenet: aut à Rege Hiſpaniarum, puta Senenſem Remp. & Elvæ Dominium: aut à ſede Apoſtolica, ut Radicofanum cum vicinis pagis; & Burgum S. Sepulchri in Vmbria; quod quum à ſede Apoſtolica pro certa ſumma Duci oppignoratum ſit, repo-

reposci potest ; atque adeo Commissarius Cameræ Vigilia S. Petri hoc oppidum inter oppida sedi Apostolicæ subdita recitat : aut denique ab Imperio , uti Filaterram , & alios Marchionatus agri Lunensis , olim à Malaspinis possessos.

In utroque Dominio , tam veteri , quam novo , urbes Episcopales numerantur XVII, (si Fæsulas annumeres , antiquam urbem , sed jam dirutam :) Florentia , Pisa , Pistorium , Cortona , Aretium, Volaterræ, Monspolitianus, Burgus S. Sepulchri , Collis , & Fæsulæ in veteri Dominio : In novo autem Sena, Mons Alcinus, Pienza, Clusium, Massa , Sovana , Grossetum , & alia aliquot oppida , quæ agri fertilitate & incolarum frequentia & opulentia civitatibus nequaquam cedunt.

Florentia nobilissima & pulcherrima civitas , ita ut vulgo apud Italos bellæ agnomen meruerit, ab Arno fluvio dividitur , qui ex Apennini dextro latere modicis initiis oriens , inter horridas præcipitesque convalles in occasum tendit ; deinde collectis fontibus, torrentibus, plurimisque amnibus , intumescit , Aretioque ad lævam relicto , Florentinum agrum ingreditur , & Florentiam ipsam intersecat : hinc

hinc Pisam quoque dividens, tandem mari illabitur: In urbe autem Florentina quatuor eximiis pontibus sternitur. Vrbs ab Oriente ac Septentrione amœnissimis collibus & undique fructiferis arboribus theatri instar cincta, ab Occidente pulchra planitie: Apennini aliquot brachiis contra vim externam & incursiones munita: videturque pæne Italiæ umbilicum tenere. Nitet nobilissimis ædificiis, tam publicis, quam privatis. Vrbis viæ latissimæ, maximisque spatiis directæ, magnis stratæ lapidibus. Munitissimum habet castellum ab Alexandro Medice Clementis VII P. R. nepote conditum. VI mill. ambitu complectitur; & supra XC millia incolarum numerare dicitur. Geminos habuisse muros tradit Christoph. Landinus. Locis, quæ divino cultui sacrata, nitet quamplurimis. Templum D. Mariæ Floridæ magnificentissimum est; totum ex marmore albi, nigri, rufiq; coloris constat, hæmisphærio stupendi operis; juxta stat turris eximia tota marmorea. Modico post intervallo vetustissimum Martis templum, nunc D. Ioanni sacrum, forma singulari constructum. Nobilia item sunt fana; D. Mariæ Novellæ; S. Spiritus; fratrum Mino-

minorum; D. Laurentii; & Annunciatæ. Inter xenodochia, quæ XXXVII numerantur, primum facile locum vendicat D. Mariæ novæ: parochiæ censentur XLIV; prioratus XII; sacri conventus virorum fœminarumque LXXVI: collegia puerorum, quas Fraternitates vocant, IX: virorum sodalitates magno numero. Palatia sunt infinita, interque ea Curia Senatus, ampliſſima domus Medicea, Cosmi opus; Strozzorum & Pitorum ædes. Suburbia quondam habuit nobilia, sed anno CIↃ IↃ XXIX dejecta. Villas suburbicarias habet plures, magnificas structura, & amœniſſimas. Incolæ acuti, graves, facundi, bonarum artium studioſi: pecuniæ studioſiores, cujus conquirendæ desiderio in ultimis etiam terris negotiantur. Mulieres forma pudicitiaque præstantes. Vtrique humanitate & sermonis elegantia omnes Etruscos superant. Archiepiscopatus fulget dignitate, cui subsunt Nepesinus, Castellanensis, Montis Falconis, Viterbiensis, Castellanus, Volaterranus, Fesulanus, Zarzanensis, vel Lunensis, Sutri, Ortanensis, Cornetanensis, Tuscanensis, Aretinus, Bientinensis, Pistoriensis, Binensis, Cortonensis, Balneorigen-

hinc Pisam quoque dividens, tandem mari illabitur: In urbe autem Florentina quatuor eximiis pontibus sternitur. Vrbs ab Oriente ac Septentrione amœnissimis collibus & undique fructiferis arboribus theatri instar cincta, ab Occidente pulchra planitie: Apennini aliquot brachiis contra vim externam & incursiones munita: videturque pæne Italiæ umbilicum tenere. Nitet nobilissimis ædificiis, tam publicis, quam privatis. Vrbis viæ latissimæ, maximisque spatiis directæ, magnis stratæ lapidibus. Munitissimum habet castellum ab Alexandro Medice Clementis VII P. R. nepote conditum. VI mill. ambitu complectitur; & supra XC millia incolarum numerare dicitur. Geminos habuisse muros tradit Christoph. Landinus. Locis, quæ divino cultui sacrata, nitet quamplurimis. Templum D. Mariæ Floridæ magnificentissimum est; totum ex marmore albi, nigri, rufiq; coloris constat, hæmisphærio stupendi operis; juxta stat turris eximia tota marmorea. Modico post intervallo vetustissimum Martis templum, nunc D. Ioanni sacrum, forma singulari constructum. Nobilia item sunt fana; D. Mariæ Novellæ; S. Spiritus; fratrum Mino-

minorum; D. Laur
ciatæ. Inter xenod
numerantur, prin
vendicat D. Mari
censentur XLIV; p
conventus virorur
LXXVI: collegia pue
ternitates vocant,
litates magno num
infinita, interque e
ampliſſima domus
opus; Strozzorum
Suburbia quondar
sed anno CIↃ IↃ
suburbicarias habe
structura, & amc
acuti, graves, fac
tium studiosi: pec
cujus conquirenda
mis etiam terris n
res forma pudici
Vtrique humanit
gantia omnes Etr
chiepiscopatus fu
subsunt Nepesinu
Montis Falconis,
lanus, Volaterran
zanensis, vel Lun
nensis, Cornetan
Aretinus, Bienti
Binensis, Cortor

minorum; D. Laurentii; & Annunciatæ. Inter xenodochia, quæ XXXVII numerantur, primum facile locum vendicat D. Mariæ novæ: parochiæ censentur XLIV; prioratus XII; sacri conventus virorum fœminarumque LXXVI: collegia puerorum, quas Fraternitates vocant, IX: virorum sodalitates magno numero. Palatia sunt infinita, interque ea Curia Senatus, ampliſſima domus Medicea, Cosmi opus; Strozzorum & Pitorum ædes. Suburbia quondam habuit nobilia, sed anno CIↃ IↃ XXIX dejecta. Villas suburbicarias habet plures, magnificas structura, & amœniſſimas. Incolæ acuti, graves, facundi, bonarum artium studioſi: pecuniæ studioſiores, cujus conquirendæ desiderio in ultimis etiam terris negotiantur. Mulieres forma pudicitiaque præstantes. Vtrique humanitate & sermonis elegantia omnes Etruscos superant. Archiepiscopatus fulget dignitate, cui subsunt Nepesinus, Castellanensis, Montis Falconis, Viterbiensis, Castellanus, Volaterranus, Fesulanus, Zarzanensis, vel Lunensis, Sutri, Ortanensis, Cornetanensis, Tuscanensis, Aretinus, Bientinensis, Pistoriensis, Binensis, Cortonensis, Balneorigen-

sis, Vrbeventanus, Castrensis, Perusinus, Lucanus. Academiam habet celeberrimam. Bibliothecas VI; S. Laurentii, sive Medicæam; S. Marci; S. Benedicti; S. Crucis; in Domo Episcopi; denique Mariæ novellæ.

Pisa, urbs haud dubio antiquissima, jacet inter amnes Auserem & Arnum. Arnus (inquit Leander) ab Aretio magna cum mole accedit, nec tamen integer, quoniam in tria flumina dividitur. Auser, aut, ut nunc vocant, Serchius, ex Apennino profluit. Vrbs quondam potens, & Sardiniæ domina; sed Pisani à Genuensibus ad Lamellum victi, XLIX longis navibus & XII hominum millibus amissis, numquam postea vires recuperare potuerunt; sed ab aliquot tyrannis vexati, tandem in Florentinorum potestatem venerunt; à quibus cum anno CIↃ CCCC XCIV defecissent, & ab Carolo VIII Gallorum Rege libertatem recuperassent, eandem ad ann. CIↃ IↃ IX retinuerunt, quo Ludovico XII à Venetis profligatis, obsessi à Florentinis ac omni auxiliorum spe destituti, tandem se dediderunt, maximaq; civium pars aliò in exilium sponte concessit. Ita urbs tum pene deserta, necdum admodum frequens. Ceterum vasta est

est urbs, & flumine divisa; cujus ripæ duobus pontibus junguntur, muris altis, & marmoreis: Cosmus Hetruriæ Dux illam frequentiorem facere conatus fuit, Academiâ illius instauratâ & Palatio Equitum S. Stephani condito: sed ne sic quidē pristinum splendorem recuperavit. Archiepiscopatus titulo floret. cui suffragantur Massanensis & Civitatensis: etiam Corsicæ insulæ primas est. Primarium tēplum, quod Domnum vocant, ambitum habet Io XL pass., columnis subnixum LXX. turris huic vicina tota marmorea, à fundamentis ad CLIII grad. assurgens. Ager suburbanus copiosam fert segetem; vina fert, sed non adeo laudata.

Sena, vetusta quoque urbs, per colliculos porrigitur spatioso ambitu, quippe quæ III fere milliaria complectatur. adhæc optimis muris & profundissima propter situm fossa undique fere cincta. Portas habet octo; quarum quæ spectat Septentrionem agrumque Florentinum, Chamolia vocatur. è Camolliano autem tumulo varii canales in urbem derivantur, quibus ab obsidentibus resectis, aquæ penuria illam laborare necesse est; nam cum urbs edito loco sita sit, non nisi è

ſuperiore illo colle, aquæ in uſus publicos haberi poſſunt, ciſternis in privatorum uſum inſervientibus. Strata eſt latere coctili, plateis rectis & longis. Frequentia nitet nobilium ædificiorum; ex quibus Templum D. Virgini ſacrum ſplendidũ eſt & ſumtuoſum. Forum amplũ illuſtrat Fons Brandus. Cives cum ſuaviſſimis, tum elegantiſſimis ſunt moribus: mulieres ſpecioſiſſimæ, lætæ placidæque, & quædam non indoctæ. idioma ipſis elegans & auditu gratum. Archiepiſcopatum habet à tempore Pii II R.P. Cui ſubjecti ſunt Epiſcopi Suanenſis, Craſſatenenſis & Maſſanenſis. Academiam habet ab eodem Pio auctam illuſtratamque. Agrum habet amænum, frumento cæteriſque frugibus uberem; quâ ad mare vergit, *Marennua* vulgo, magnam frumenti copiam ſubminiſtrat, quanquam colonis infrequentior, propter cœli vitium, præcipue æſtate & autumno. Quomodo autem ad Florentinos pervenerit, poſtea dicetur.

Piſtorium, vulgo Piſtoia, urbs vetus & quondam florens, ſed civium diſſidiis & mutuis cædibus ad ſummam paucitatem redacta; primam hanc eſſe quam Florentini imperio ſuo addide-

rint,

rint, authores mem
hanc urbem; qua Flo
tet; lata, amœna, or
nere abundans; oppi
caſas; palatiaque in u
quadraginta quatuor
ro non abſimilis.

Volaterræ civitas
rimoque jugo imp
quippe in valle ſub
undique collis aſſur
tice planicies, in qu
ſita ſunt. Mœnia ip
longitudine fere ſen
affabre abſque bitu
majori ex parte co
urbem portis aditu
lis fons eximius niti
cit: intus in urbe bi

Aretium, urbs (
perhoneſta, jucun
campis ſita, fruct
menti, vini, cæte
abunde fertili. Vr
perta, tandem ſub

Burgum S. Sepu
nulla antiquitatis
que ſub Eccleſiaſtic
bus Florentinis ſu

Cortona vetus

rint, authores memorant. Vallis ad hanc urbem, qua Florentiam itur, patet; lata, amœna, omni fructuum genere abundans; oppida, pagos, villas, casas, palatiaque in universum habens quadraginta quatuor millia, sinui Bajaro non absimilis.

Volaterræ civitas difficillimo asperrimoque jugo imposita; profunda quippe in valle sublimis & præceps undique collis assurgit, in cujus vertice planicies, in qua urbis mœnia posita sunt. Mœnia ipsa quadrato lapide, longitudine fere senum pedum, tam affabre absque bitumine composita, majori ex parte constant: quinis in urbem portis aditus patet; pro singulis fons eximius nitidissimas aquas jacit: intus in urbe bini ingentes.

Aretium, urbs (ut inquit Leander) perhonesta, jucundis amœnisque in campis sita, fructuoso agro, ac frumenti, vini, cæterarumque frugum abunde fertili. Vrbs varias vires experta, tandem sub Florentinis mansit.

Burgum S. Sepulchri, urbs Vmbriæ nulla antiquitatis nota insignis, diuque sub Ecclesiastico dominio versata, ab Eugenio IV. quorum VII millibus Florentinis fuit oppignorata.

Cortona vetus civitas, quam ab

Vgitione aliquandiu tyrannide preſſam Ladiſlaus Neapol. Rex Florentinis vendidit.

Mons Politianus, nobile oppidum, frequenſque; amœno in colle ac omni optimorum fructuum genere perfæcundo, præſertim vero generoſis vinis; quondam Senenſium ditionis, ſed à Iulio II P. R. Florentinis traditum.

Extra Florentiam tribus paulo amplius ab illa paſſ. cIↃ in Apennini collibus viſuntur reliquiæ, cum Epiſcopali etiam nunc dignitate, antiquiſſimæ Etruriæ urbis Fæſulæ; quam anno cIↃ xxIv periiſſe ſcribit Blondus & alii; adeo ut pauca tantum ædificia ſuperſint.

In Senenſium porro agro ſunt, primo Mons Ilcinus, (Thuano,) vulgò Mont-Alcin; quod oppidum loco arduo ſitum, per collem porrigitur, tribus fere partibus inacceſſum. Editiori urbis parti, cui arx inſidet, planicies quædam ſubeſt, à qua parte urbs commode tentari poteſt. Leander Montem Alcinoi vocat, vino, quod apricis illis collibus gignitur, nobilem.

[illegible] ditionis arx, & præcipuum in ora maritima oppidum: à Senenſibus exu-

libus,

libus, una cum Ilcini monte & Clusio, Gallorum Regi traditum anno cIↃ IↃ. LVII. Sed anno cIↃ IↃ LIX in Florentini manus ab Hispano consignatum.

Pienza, olim Corsinianum dictum, quæ anno cIↃ IↃ XLV (ut scribit Leander) ingentem ex terræ-motu calamitatem accepit.

Massa pervetusta civitas, ubi aluminis venæ superiori seculo inventæ.

Ad magnum Hetruriæ Ducatum pertinet Glania vallis; quam Thuanus lib. XIV ita describit: Quatuor ab Arretio milliaribus copiosa aquarum colluvies in Arnum exoneratur, quæ incerto fonte diversas in plagas per plana, prout declivius hic vel illic solum, modo in hanc, modo in illam partem decurrit, & pars Septentrionem versus, pars ad Orientem tendit, & juxta Vrbeventum in Paliæ flumen delabens, Tiberi absorbetur, plerisque locis adeo humili alveo, ut quanquam fluat, paludis tamen potius speciem, quam fluminis referat; fundumque ita tenacem habet, ut vix vado transiri queat. Glanii nomen ei inditum est, unde Glaniana vallis dicta, quæ ab Arno ad Tiberim per LX amplius milliar. porrigitur, collibus fructiferis undique cincta; & à Septentrione quidem Ar-

retium, Caſtellionem, Florentium & Cortonam, quæ Florentinæ ditionis ſunt, ſpectat; ab Auſtro Civitellam, Marcianum & Folianum, ad quæ per Arni valleis iter eſt. Habet & ab ea parte Lucinianum, Aſiniam longam, Sarteanum, Clantianum, Cluſium, Cetonam, oppida Senenſium ditionis; inter quæ à Turrita Meridiem verſus Politianum jacet caſtellum, quod ad Florentinos pertinet. Nunc illius aquæ derivatione Etruriæ pars ea ſummè fertilis reddita eſt, citra inundationis periculum.

Plures habet portus, ſed nominatiſſimus eſt Lyburnus, hodie Livorni. ubi ab aliquot annis nova urbs Ducis auſpiciis ſurgit, unicum penè hujus Ducatus ad mare emporium. Præjacet in mari ad mille paſſus ſcopulo impoſita pharos, ingens turris, è cujus faſtigio noctu fax ingens navigantibus prælucet.

Porro Etruriam, uti hodie à Magno Duce poſſidetur, ab Occidente claudunt Reſpubl. Genuenſis & Lucenſis; Dux Mutinæ; Vallis Caferniana; Vrbini Dux prope Burgum S. Sepulchri; Parmenſis Dux prope Fivizanum & in Ducatu Caſtri; reliquis lateribus, præterquam qua mari alluitur, Eccleſiaſtico

stico dominio undique concluditur, Bononiensi agro, Romandiola, territorio Perusino, Tifernate, & aliis.

Castella & loca munita XLII. Nam singulæ civitates habent unam arcem, magnam parvamve. Florentia autem tres. Castellum Liburni longe munitissimum præsidio Ic militum custoditur. In insula Elva quatuor sunt munimenta, in quibus præsidiarii sunt CCC. Reliqua præcipua castella sunt *la Citta del Sole* in Romagnia; *il Sasso di Limone* versus Perusium; *Rocca Sibillina* ad limitem Pontremolii; *Monte Carlo, Pietra Santa,* & *il Salto della Cencia* ad limites Genuatium; Castellum *S. Martini* ad fines Romagniæ; *Radicofanum* ad fines Ecclesiastici Status: *Pitigliano, Soráno, Mariano, la torre di Bellino,* &c. quæ omnia ad minimum XXV CIↃ præsidiariorum poscunt.

Ager Florentinus fertilissimus est, & frumenti atque leguminum, olei quoque ferax, inprimis autem vini, quod hîc præstantissimum gignitur; excellit autem Trebianum, Apianum, Senense, quodque in agro Vulsinio aut ad oppidum Montis Falconis premitur.

Pisanus ager frumenti ita fœcundus,

ut omnem Etruriam nutrire posset, sed operarum defectu, agri pene squallent, & regio insalubrior, præsertim advenis, censetur. Vina quoque fert, sed non admodum laudata. Cæteri fructus non insuaves; melones autem & pepones longe optimi.

Mores incolarum.

DE moribus populorum jam pauca dicamus: quos è Formianis quæstionibus tales accepimus. Florentini sunt callidi, atque ne vel minimam jacturã faciant, quosvis labores & quævis incommoda libenter perferunt: In præliis tamen hoc tantum spectant ut victoria potiantur, ad prędam minime avidi; suntq; optimi exploratores. Parci sunt non tam avaritia aut inopia, quam natura; mira sunt mundicie; habẽt in deliciis parvos quosdam caseos, qui à mense martio nomen traxerunt, dictique sunt martiolini. Senenses minus attenti ad rem, minusque callidi; in victu splendidi, erga peregrinos liberales & dapsiles. nulla gens obstinatius pro libertate certavit, aut adhuc jugum impatientius fert. Inter Italiæ populos sermonis nitore excellunt Florentini, magis autem Senenses; Florentini denique ægre injurias condonant.

Opes

Opes Provincialium.

FLorentinus quidem ager frumenti indigus est, licet vino, animalibus & cæteris ad vitam humanam necessariis abundet; Senensis contra omnibus ita abundat; ut etiam vicinis suis elargiatur, & aliorum subsidio fere numquam indigeat: nihilo tamen minus Magni Ducis territoria nonnumquam frumentum è longinquis regionibus petere coguntur.

Senensium opes maxime consistunt in redditibus quos è fundis & campis suis percipiunt, exigua ipsis mercaturæ cura. Florentini vero potius è mercatura quæstum faciunt, cujus admodum gnari sunt. Vrbs omnis generis artificibus constat, qui magna industria pannos texunt è lana, maxime vero è serico, quorum maxima copia in exteras regiones deportatur, magno oppidanorum lucro. Divitiæ autem illorum maxime enituerunt, dum libertatem suam tuebantur, tam bellis foris maximo sumtu gestis, quam domi magnificis ædificiis publicis, privatisque.

[illegible] opulentus, ob plures Episcopatus, Abbatias, Xenotrophia, & ingentem numerũ Cœnobiorum

Opes Provincialium.

FLorentinus quidem ager frumenti indigus est, licet vino, animalibus & cæteris ad vitam humanam necessariis abundet; Senensis contra omnibus ita abundat; ut etiam vicinis suis elargiatur, & aliorum subsidio fere numquam indigeat: nihilo tamen minus Magni Ducis territoria nonnumquam frumentum è longinquis regionibus petere coguntur.

Senensium opes maxime consistunt in redditibus quos è fundis & campis suis percipiunt, exigua ipsis mercaturæ cura. Florentini vero potius è mercatura quæstum faciunt, cujus admodum gnari sunt. Vrbs omnis generis artificibus constat, qui magna industria pannos texunt è lana, maxime vero è serico, quorum maxima copia in exteras regiones deportatur, magno oppidanorum lucro. Divitiæ autem illorum maxime enituerunt, dum libertatem suam tuebantur, tam bellis foris maximo sumtu gestis, quam domi magnificis ædificiis publicis, privatisque.

[illegible] hic satis opulentus, ob plures Episcopatus, Abbatias, Xenotrophia, & ingentem numerũ Cœnobiorum;

ım omnium redditus an-
ingenta millia coronato-
re fama eſt.

potentia magni Ducis.

us Ducis primum æſtimari
è territorii amplitudine;
gitudine ducenta circiter
ica occupat; in latitudine,
m, quinquaginta. Deinde
bditorum, quas in ſuum
ariis modis poteſt conver-
autem modis ærarium
. Et quidem ordinario:
outo omnis generis frugi-
o, quod vocant *il Dritto*
e; itemque carnibus; quod
alet ducat. 250000. Secun-
i ſalis, & aliis rebus quæ
uriantur; quod valet du-
. Tertio è gabella contra-
ium, hæreditatum, ven-
& ſimilium; quæ reddunt
uc. 100000. Quarto è por-
variis locis ſolvuntur pro
is mercibus quæ invehun-
m pluribus locis ſolvun-
im diverſis Dominis pa-
jam unum ſit Princi-
ut plurimum quotannis
o.

Præterea

Præterea ſolvunt Florentini pro omnibus bonis immobilibus decimam; licet eorum bonorum taxatio jam olim adeo benigne ſit facta ut non ſupra viceſimam ſolvant: peculiaris huic tributo Magiſtratus deſtinatus: reddidit annuatim olim centum mill. ducatorum; (quorum XL CIↃ ſervivnt fœnori abſolvendo octies centenorum mill. duc. quæ à privatis Rebuſp. ſumſit. *Monte delle Graticiole* dicitur:) ſed hi reditus ſuperioribus annis in immenſum aucti, præſertim poſt reformationem anni CIↃ IↃ LXXIV, quia quam plurima ædificia quotidie tam in urbe quam agro ædificantur, & venundantur. Hiſce accedunt multæ quæ à negligentibus ſolvere decimas exiguntur.

Officina quoque monetaria quotannis reddit Principi duc. 100000; nam licet auri atque argenti ſumma hic ſit perfectio præ ceteris Italiæ Provinciis, tamen è minutis nummis & auri fabrorum induſtria utilitas ad Principem redit ut ſupra.

Multarum, & eorum, quæ fiſcus è bonis damnatorum percipit, certa ratio iniri non poteſt. Sicuti neq; tributi quod à Iudæis accipit Princeps. Florentiæ quidem in ſingula capita du-

cato-

Præterea ſolvunt Florentini pro omnibus bonis immobilibus decimam; licet eorum bonorum taxatio jam olim adeo benigne ſit facta ut non ſupra viceſimam ſolvant: peculiaris huic tributo Magiſtratus deſtinatus: reddidit annuatim olim centum mill. ducatorum; (quorum XL CIↃ ſerviunt fœnori abſolvendo octies centenorum mill. duc. quæ à privatis Rebuſp. ſumſit. *Monte delle Graticiole* dicitur:) ſed hi reditus ſuperioribus annis in immenſum aucti, præſertim poſt reformationem anni CIↃ IↃ LXXIV, quia quam plurima ædificia quotidie tam in urbe quam agro ædificantur, & venundantur. Hiſce accedunt multæ quæ à negligentibus ſolvere decimas exiguntur.

Officina quoque monetaria quotannis reddit Principi duc. 100000; nam licet auri atque argenti ſumma hic ſit perfectio præ ceteris Italiæ Provinciis, tamen è minutis nummis & auri fabrorum induſtria utilitas ad Principem redit ut ſupra.

Multarum, & eorum, quæ fiſcus è bonis damnatorum percipit, certa ratio iniri non poteſt. Sicuti neq; tributi quod à Iudæis accipit Princeps. Florentiæ quidem in ſingula capita ducator.

cator. 2; Senis unum & dimidium; Pisæ perparum.

Reditus bituminis in portu Ferrario, & ferri fodinarum in insula Elva, nonnullam quoque utilitatem præstant.

Præterea Princeps ubi opus habet, privatorum opibus facile utitur hoc modo; Si centum aut ducentis millibus coronatorum ipsi opus fuerit, censum init eorum qui maxime opulenti habentur; neque enim facile latere possunt: & quid à singulis pro opum ratione postulet explicat, modo ne à quoquam supra v mill. ducatorum exigatur. facta hac divisione singulis indicatur ut illam summã intra breve tempus in ærarium inferant & mutuam dent. neque quisquam facile officium suum hic desiderari patitur, ne Principis gratia excidat aut mulctetur. summa autem persoluta, tantumdem singulis assignatur, tributorum aut vectigalium, per totum illius statum, biennii ut plurimum tempore, percipiendorum; atque ita summo compendio & nullo aut levi subditorum detrimento Princeps ærarium suum supplebat. Sed ea est hodie Ducum opulentia, ut hoc medio uti minime necesse sit, sed ipsi magnam pecuniæ

niæ vim apud mensarios deponant. Redditus annui (ut à Legato Veneto observatũ invenio) adscendunt ad sesquimillionem aureorum. In Florentina quippe urbe è tributis & vectigalibus aliisque oneribus colliguntur ducat. 600000. Senis 150000. Lybarni 13000. Datium molendinarum per totum Ducatum (excepta Seuensi urbe) reddit 180000, Datium carnium Duc. 160000. Ex salinis, ferri & argenti metallis, pene tantumdem. Lucrum quoque facit è pecuniis quas apud mensarios deponit, quarum ingens est summa; itemque è naulo duarum triremium, quæ merces quaqua versum vehunt. Ingentem autem thesaurum, à Duce Ferdinando potissimum congestum, haud frustra opinantur, & ut quidam produnt, millionum decem, vel, ut alii, viginti; præter gemmas & monilia maximi pretii.

Qui diligentissime rationes annuorum redituum tam ordinariorum quam extraordinariorũ scrutati sunt, hunc calculum nobis prodiderunt, ordinarios reditus esse millionem ducat. Novum quippe Dominium quod pluribus etiamnum immunitatibus gaudet, una cum Marchionatu di Castiglione,

niæ vim apud mensarios deponant. Redditus annui (ut à Legato Veneto obseruatũ invenio) adscendunt ad sesquimillionem aureorum. In Florentina quippe urbe è tributis & vectigalibus aliisque oneribus colliguntur ducat. 600000. Senis 150000. Lyburni 13000. Datium molendinarum per totum Ducatum (excepta Senensi urbe) reddit 180000, Datium carnium Duc. 160000. Ex salinis, ferri & argenti metallis, pene tantumdem. Lucrum quoque facit è pecuniis quas apud mensarios deponit, quarum ingens est summa; itemque è naulo duarum triremium, quæ merces quaqua versum vehunt. Ingentem autem thesaurum, à Duce Ferdinando potissimum congestum, haud frustra opinantur, & ut quidam produnt, millionum decem, vel, ut alii, viginti; præter gemmas & monilia maximi pretii.

Qui diligentissime rationes annuorum redituum tam ordinariorum quam extraordinariorũ scrutati sunt, hunc calculum nobis prodiderunt, ordinarios reditus esse millionem ducat. Novum quippe Dominium quod pluribus etiamnum immunitatibus gaudet, una cum Marchionatu *di Castiglione*,

glione, quem ducissa Eleonora à D. Silvia Piccolominea tercentum millib. ducatis comparavit, reddere quotannis tercentum millia ducatorum; vetus autem Dominium septies centena millia. Quæ è quatuor fontibus promanant, quos jam ante indicavimus. Præter hæc extra ordinem è variis rebus proveniunt annuatim, ut supra enumeravimus, ad ducatorum 300000. Quibus accedunt reditus è bonis fundi Magni Ducis & familiæ Mediceæ; qui deductis expensis annuatim valent 300000 ducat. & amplius. Ita ut, omnibus subductis, annui reditus sint 1300000 ducat. Et quum plurimos officiales designare, plurimaque & utilissima beneficia possit in suos ministros Princeps conferre, sine ulla sua expensa bene meritis refert gratiam. Iidem authores & expensarum accuratam ineunt rationem; easque ad octies centena ducat. millia ascendere probant in hunc modum. Castellorum præsidia aliaque necessaria poscunt quotannis ducat. 20000. Equitum turmæ cum suis tribunis & aliis officialibus poscunt 100000. Pedestres copiæ cum suis tribunis & aliis officialibus poscunt 22000. Maritimarum copiarum expensæ

pensæ hic non veniunt in rationes, quia eæ aliunde capiuntur, nimirum è decimis Cleri & Ordine S. Stephani, item è spoliis inimicorum, & vectura mercium, & similibus.

Quibus si addas sumtus qui fiunt in aula, in stipendia aulicorum, aliaque ejus generis, fiet totalis summa, ut creditur, 800, 000 duc.

Ad vires militares quod attinet; habet Dux perpetuo descriptam militiam triginta sex aut octo mill. pedium, & armorum exercitio & disciplina præstantium. Has copias præstant non modo regiones, sed & urbes omnes, excepta Florentia. (nam oppidanos hosce armatos esse forte minus tutum esset, nondum plene oblitos pristinæ libertatis.) nec quisquam ab hac militia excluditur præter Clericos & Scholares; neque cuiquam præter hosce conscriptos aut extra aut intra urbem arma ferre licet, aut stipendium accipere, domi foriśve, sub gravibus pœnis. Gaudent autem milites plurimis privilegiis & immunitatibus; inprimis eo, quod debitorum causa incarcerari non possint. quare multi, qui foris militiæ operam dederunt, huic militiæ asscribi unice appetunt. Singuli autem & arma à Principe pretio accipiunt

penſæ hic non veniunt in rationes, quia eæ aliunde capiuntur, nimirum è decimis Cleri & Ordine S. Stephani, item è ſpoliis inimicorum, & vectura mercium, & ſimilibus.

Quibus ſi addas ſumtus qui fiunt in aula, in ſtipendia aulicorum, aliaque ejus generis, fiet totalis ſumma, ut creditur, 800, 000 duc.

Ad vires militares quod attinet; habet Dux perpetuo deſcriptam militiam triginta ſex aut octo mill. peditum, & armorum exercitio & diſciplina præſtantium. Has copias præſtant non modo regiones, ſed & urbes omnes, excepta Florentia. (nam oppidanos hoſce armatos eſſe forte minus tutum eſſet, nondum plene oblitos priſtinæ libertatis.) nec quiſquam ab hac militia excluditur præter Clericos & Scholares; neque cuiquam præter hoſce conſcriptos aut extra aut intra urbem arma ferre licet, aut ſtipendium accipere, domi foriſve, ſub gravibus pœnis. Gaudent autem milites plurimis privilegiis & immunitatibus; inprimis eo, quod debitorum cauſa incarcerari non poſſint. quare multi, qui foris militiæ operam dederunt, huic militiæ aſſcribi unice appetunt. Singuli autem & arma à Principe pretio accipiunt

eaque nitida suis sumtibus conservare tenentur. Potest autem Dux, intra sex aut octo dierum spatium, omnes hasce copias Florentiam cogere, utpote quæ pene in meditullio sit sita. Habet præterea magnum numerum Fossorum seu Vastatorum descriptum, quibus & pacis tempore utitur, in arcibus restaurandis, aliisque operis nauticis & agrestibus. Cataphractorum equitum centum ordinarie alit; quibus pacis tempore in singulos menses numerat VII coronatos, belli ordinarium stipendium. Velitum autem quadringentos; quibus pacis tempore III coronatos, belli ordinarium dat stipendium. Hi quoque equites in territorio Ducis describuntur, & præter stipendium multis immunitatibus donati sunt. Atque hæ quidem ordinariæ illius copiæ, tam pedestres, quam equestres. Non est autem dubium, quin tempore necessitatis lõge majores cogere possit, tum è terris suis satis populosis, tum aliunde, ob pecuniæ paratæ abundantiam. Vt autem maris quoque potens esset, Cosmo debetur, qui Ilvam insulam à Carolo V obtinuit, Apianis, veris dominis, cedentibus: Ilva autem (hodie Elbe) à continentis promontorio (ubi hodie Plombinum, olim

olim paulo supra ad Occidentem Populonia erat, quæ nunc Portus Faratus dicitur) x circiter milliarium spatio abest, interjacente Pandataria, deserta fere & nullis operibus munita insula. In Ilva (inquit Thuanus lib. v) portus est navium maxime capax, cui duo colles imminent, quos ex consilio Io. Baptistæ Camerini, muniendarum arcium peritissimi architecti, Cosmus erectis castellis firmavit: atq; humiliori quidem, à propugnaculorum forma, quibus tamquam radiis undiq; se porrigentibus cingitur, Stellæ nomen; editiori, quod alteri tanquam prædæ accipiter incumbit, Falconis datum est. Tertium propugnaculum in portus faucibus ædificatum est, quia linguæ specimen referat, Lingula appellatum. Ea quod à se invicem lõgius distarent, muro conjungere instituit, ut eo magis & portum & urbem securam redderet, recto milite, & inde tutius cum opus esset, ultro citroque ad arces commeante. Hactenus Thuanus.

In arcibus hisce multa sunt tormenta bellica, & varius belli apparatus. Præterea habet magnus Dux Pisis navale armamentarium, inæque magnam copiam lignorum, stuppæ, cannabis, aliorumque ad ædificandas na-

olim paulo supra ad Occidentem Populonia erat, quæ nunc Portus Faratus dicitur) x circiter milliarium spatio abest, interjacente Pandataria, deserta fere & nullis operibus munita insula. In Ilva (inquit Thuanus lib. v) portus est navium maxime capax, cui duo colles imminent, quos ex consilio Io. Baptistæ Camerini, muniendarum arcium peritissimi architecti, Cosmus erectis castellis firmavit: atq; humiliori quidem, à propugnaculorum forma, quibus tamquam radiis undiq; se porrigentibus cingitur, Stellæ nomen; editiori, quod alteri tanquam prædæ accipiter incumbit, Falconis datum est. Tertium propugnaculum in portus faucibus ædificatum est, quia linguæ specimen referat, Lingula appellatum. Ea quod à se invicem lõgius distarent, muro conjungere instituit, ut eo magis & portum & urbem securam redderet, tecto milite, & inde tutius cum opus esset, ultro citroque ad arces commeante. Hactenus Thuanus.

In arcibus hisce multa sunt tormenta bellica, & varius belli apparatus. Præterea habet magnus Dux Pisis navale armamentarium, in eoque magnam copiam lignorum, stuppæ, cannabis, aliorumque ad ædificandas na-

ves neceſſariorum. Simile armamentarium habet in Inſula Ilva, ubi Ducis triremes ſunt, & magnus operarum numerus. Habuit hic olim duodecim triremes, & aliquot galeaſſas, ut vocant: item galeones duos, quibus merces devehuntur, magno Ducis emolumento.

Vt autem militiæ ſuæ maritimæ nomen & robur conciliaret Dux Coſmus, anno cIↃ IↃ LXI Ordinem Equitum S. Stephani inſtituit, obtinuitque à Pontif. Pio V multa privilegia; & illius Magiſter ipſe eſſe voluit. Reditus illius annui ſunt ducat. XXVI mill. quorum XV aut XVI quotannis expenduntur. Equites oportet eſſe circiter LX è diverſis nationibus. Habet præterea circiter centum commendas (ut vocant) quæ annuatim reddunt 30000 duc. Inſtrumentis inſuper bellicis probe inſtructus eſt Magnus Dux. nam in arce Florentina plus minus centum quinquaginta ſunt tormenta campeſtria, & ita in aliis arcibus.

De Conſilio Principis.

COnſilium privatum Principis è paucis admodum conſtat: in rebus autem dubiis, & quæ diligentiorem deliberationem poſcunt, ſolet adhibere

bere XII nobiles, partim doctores, partim in legationibus ad exteros Principes verſatos. In rebus bellicis conſulit tribunos militares, qui ætate & experientia reliquos antecellunt; potiſſimum autem familiæ ſuæ Principes, ſi domi ſint; quorum quidam ſuperioribus annis laude militari claruerunt. Florentinæ & Senenſis civitatum regimen politicum & civile pene ad eundem modum hodie ſe habet, quo olim tempore libertatis: nec Princeps facile ſe immiſcet civilibus cauſis; tantum criminales, ſi alicujus momenti ſint, ad Cancellarium & Secretarios illius referri ſolent.

Quibus gradibus domus Medicea ad tantam potentiam aſcenderit.

FLorentinorum res à ſuperiori tantum ſeculo repetemus, quo Ducum Florentinorum res primum ſtabiliri cœperunt. Anno quippe cIↃ IↃ XXX, poſt diuturnam obſidionem Florentia Cæſari Carolo V dedita fuit; qui, uti inter ipſum & Pontificem convenerat, Alexandrum Medices Nothum, Laurentii F., Florentinorum Ducem creavit: Pontifex autem, qui patriam, id eſt, Florentinorum Rempubl. everterat, ut navem, quod dicitur, contra

bere XII nobiles, partim doctores, partim in legationibus ad exteros Principes versatos. In rebus bellicis consulit tribunos militares, qui ætate & experientia reliquos antecellunt; potissimum autem familiæ suæ Principes, si domi sint; quorum quidam superioribus annis laude militari claruerunt. Florentinæ & Senensis civitatum regimen politicum & civile pene ad eundem modum hodie se habet, quo olim tempore libertatis: nec Princeps facile se immiscet civilibus causis; tantum criminales, si alicujus momenti sint, ad Cancellarium & Secretarios illius referri solent.

Quibus gradibus domus Medicea ad tantam potentiam ascenderit.

FLorentinorum res à superiori tantum seculo repetemus, quo Ducum Florentinorum res primum stabiliri cæperunt. Anno quippe CIↃ IↃ XXX, post diuturnam obsidionem Florentia Cæsari Carolo V dedita fuit; qui, uti inter ipsum & Pontificem convenerat, Alexandrum Medices Nothum, Laurentii F., Florentinorum Ducem creavit: Pontifex autem, qui patriam, id est, Florentinorum Rempubl. everterat, ut navem, quod dicitur, contra

procelloſam noctem duabus anchoris firmaret, adfinitatem cum Franciſco I Gall. Reg. contraxit, & Catharinam, Laurentii ex Magdalena Turria filiam, Henrico ex Franciſci liberis ſecundo in matrimonium tradidit. Senenſes qui Petrucciis à gubernatione Reipublicæ remotis, populari dominatione regebantur, & occultas cum Florentinis inimicitias exercebant, jam ab illo tempore, quo Piſani contra Florentinos pro libertate certantes, Genuenſium, Senenſium & Lucenſium opibus ſuſtentabantur, initio ſuſtulerant animos, Io. Bapt. Palmerii impulſu, qui detecta conjuratione, cives ſuos contra Clementem & Florētinos adeo efferaverat, ut ab injuriis non temperarent. Inde ſequuta mox obſidione urbis, quæ magno hoſtium damno & dedecore, deleto pene exercitu & amiſſis tormentis, ſoluta eſt, elatiores redditi; ad hæc Cæſaris cum Pontifice diſſidentis opibus confirmati, jam in apertas inimicitias eruperant. Sed cum poſtea Cæſar, pace cum Clemente facta, & Florentia capta, ſtatum Reip. ex ſententia Pontificis ordinaſſet, & Senenſium ſpiritus paulatim infringi, & libertas labefactari cœpit.

Florentinorum rebus ita conſtitutis,

tis, ut ſummum imperium penes Medicæos eſſet, Alexander Laurentii Vrbini Ducis naturalis F. civitati perpetuus gubernator imponitur, cui nox Cæſar Margaritam naturalem F. in matrimonium tradidit; qui ſe ita geſſit deinceps, ut omnium odiis in ſe concitatis, à Laurentio in principatu proximo occideretur; qui cum profugiſſet, antequam Alexandri mors evulgaretur, Mediceæ factionis Principes, Coſmum, tunc tantum xv. annorum, Ducem creant. Coſmus is Ioannis F. fuit, in agro Mantuano occiſi, & Mariæ Salviatæ genere & moribus nobiliſſimæ fœminæ: qui, matre licet diſſuadente, principatum adiit, eumque ita geſſit, ut plusne fortunæ, an induſtriæ ipſius, tribuendum ſit, difficile fuerit dicere. Nam Reipublicæ optimates à Clemente & Alexandro urbe exactos, nullo negotio cepit, & VIII. virorum judicio ad mortem damnavit. Hoc metu liberatus, Cæſaris benevolentiam, in cujus clientela poſtea conſtantiſſimus fuit, fide & obſequio demereri ſtatuit; arceſque urbium facile in poteſtatem accepit. cumque Margaritam Alexandri viduam à Cæſare uxorem haud impetraſſet; Heleonoram Petri Toletani, qui tunc Regni

tis, ut summum imperium penes Mediceos esset, Alexander Laurentii Vrbini Ducis naturalis F. civitati perpetuus gubernator imponitur, cui mox Cæsar Margaritam naturalem F. in matrimonium tradidit; qui se ita gessit deinceps, ut omnium odiis in se concitatis, à Laurentio in principatu proximo occideretur; qui cum profugisset, antequam Alexandri mors evulgaretur, Mediceæ factionis Principes, Cosmum, tunc tantum XVI annorum, Ducem crearunt. Cosmus is Ioannis F. fuit, in agro Mantuano occisi, & Mariæ Salviatæ genere & moribus nobilissimæ fœminæ: qui, matre licet dissuadente, principatum adiit, eumque ita gessit, ut plusne fortunæ, an industriæ ipsius, tribuendum sit, difficile fuerit dicere. Nam Reipublicæ optimates à Clemente & Alexandro urbe exactos, nullo negotio cepit, & VIII. virorum judicio ad mortem damnavit. Hoc metu liberatus, Cæsaris benevolentiam, in cujus clientela postea constantissimus fuit, fide & obsequio demereri statuit; arcesque urbium facile in potestatem accepit. cumque Margaritam Alexandri viduam à Cæsare uxorem haud impetrasset; Heleonoram Petri Toletani, qui tunc Regni

Neapolitani præses erat, filiam, uxorem duxit. Hæc novi, sed potentissimi tota hodie Italia Imperii, in ea familia confirmati, primordia fuerunt. Anno clɔ Iɔ XLVII præsidium Hispanorum à Senensibus acceptum, annitente Cosmo, qui si Cæsarianum præsidium reciperetur, Senis se aliquando potiturum sperabat. Anno clɔ Iɔ XLVIII Mendoza Plombinum Apianis veris & antiquis dominis ademit, satagenti itidem Cosmo, qui suggerere Cæsari non desinebat, interesse totius Etruriæ, illud in potestate Cæsaris esse & ejus qui Cæsaris partium studiosus sit, propter Ilvam insulam littori prætensam, quam si quis in potestate habeat, is toti oræ maritimæ immineat. Eam igitur & arcem Plombini sedulo muniendam atque præsidio firmandam. In eam rem CL aureorum M numerari jusserat Cosmus: & fidem interposuerat Cæsar, de pecunia illa reddenda, aut de Plombino ejusque territorio in Cosmi manus consignando, prius compensatione Iacobo Apiano facta: sed Iacobo mortuo, alius color quæsitus; & primum viduæ & pupillo arx Plombini ademta; mox Cosmo, qui pecuniam interim reposcebat, portus Ferrati (id præcipuæ in insula urbi

Opizo Ateſtinus Raynaldi Ferrarienſis Marchionis filius à civibus Mutinenſibus (ut tradit Ioan. Bapt. Pigna lib. III) accepit ann. cIↃ cc LXXXIX. anno autem cIↃ CCC XII Franciſcus Picus Mirandulanum ab Henrico VII Imperatore Vicarius Mutinæ eſt conſtitutus, ſic tamen ut integrum urbis jus Imperator ſibi reſervaret. Exin Paſſarinus, & Butiro Bonacolſius, Mantuæ Tyranni, invaſere; & tenuere ad annum cIↃ CCC XXVII. Deinde anno cIↃ CCC XXXI Manfredus Pius Vicarius, à Ioanne Bohemiæ R. inſtitutus, hic Principis nomen aſſumſit. Qui illam Opizoni ſecundo Ferrariæ Marchioni conceſſit ann. cIↃ CCC XXXVI. Ex hoc tempore in Ateſtinæ familiæ ditione Mutina perſeveravit uſque ad annum cIↃ IↃ X. quo Iulius II urbem cepit; & Maximiliano Aug. ceſſit; à quo anno cIↃ IↃ XIV Leoni X pro decem millibus aureorum nummûm pignori data eſt. Demũ ann. cIↃ IↃ XXVII, cum Clemens à Caroli V legionibus in mole Hadriani obſideretur, Alfonſi Ateſtini Ferrariæ Ducis armis recepta eſt. Vndẽ in illius & Herculis II ditione permãſit. Herculi II ſucceſſit Alfonſus II. qui ſine legitimis hæredibus deceſſit. Cæſar tamen filius Alfonſi alterius.

rius, qui Alfonsi primi ex contubernio vilis fœminæ gnatus erat, & Iuliæ Roboreæ Guidi Vbaldi Vrbinatis Ducis filiæ, cum Ferrarienſem Ducatum, quod Alfonſus II obnixè petierat, obtinere à Pontifice non potuiſſet, Mutinam, Rhegium Lepidi, & Carporum oppidum, aliaſque ad Imperialem ditionem ſpectantes ditiones retinuit. Quippe hiſce conditionibus cum Pontifice tranſegit: (ut è Thuano didicimus lib. c. xix:) Cæſar cum uxore, liberis, ac domeſticis, iiſque qui ipſi hoc bello militarunt, à diris Eccleſiaſticis abſolvuntor. P. Aldobrandinus Pontificis Legatus ante diem tertium kal. januar. Ferrariam non ingreditor. Cæſar ditiones ad ſanctam Sedem non pertinentes, & bona propria allodialia, ad xl clɔ aureorum annui redditus, alia item ab Alfonſo Duce profecta, paris redditus, hortos ſuburbanos inſuper ac viridaria, quæ Alfonſi fuerant, iis exceptis quæ mœnibus cohærent, ſibi ſervato, cum dimidia parte omnium armorum & machinarum bellicarum; inſtrumenta ac documenta omnia, quæ ad ſanctam Sedem non pertinebunt, ſecum aſportato. Ex Camera apoſtolica quotannis xvi clɔ ſacorũ Cerviani ſalis omni tributi onere

libera

libera accipito. Hujus tractat⁹ vi Pomposæ & Bondenæ cœnobia, quæ ab Alexandro Cæsaris fratre possidentur, XIII CIↃ aureorum annui redditus æstimata, retineto. Paludes territorii Carpensis, quæ ab Ecclesia Bononiensi possidentur, & III CIↃ aureorum annui redditus æstimantur, restituantur. Carporum oppidum Episcopali dignitate ornator. Romæ eandem ordinis prærogativam, quam Alfonsus Dux olim habuit, & nunc habeto. Sancta sedes ejus patrocinium recipito, & omnes ditiones ejus Imperiales contra quemlibet defendito.

Mutinæ & Rhegii Ducatus continet, præter has duas civitates, Carpense dominium, Fugnanum atque Casernianæ vallis bonam partem: à Septentrione sunt Mantuanum & Mirandulanum territoria: ab Oriente Ecclesiasticum dominium prope Scultennam: ab Occidente Parmensis Ducatus: atque à Meridie, cum ultra Apenninum extendatur, finitimi sunt Magnus Hetruriæ Dux & Lucenses.

Rhegium Lepidi, urbs est perlauta, (inquit Leander,) nobilis & frequens, omnibusq; rebus ad mortalium usum affluens; agro quippe fœcundissimo, ac tritici, fabarum, hordei, cæterarumque

que frugum,& vini,cum albi,tum helvoli, abundante; cœloque salubri.

Carporum Principatum diu tenuit nobilissima Piorum familia: Gilbertus autem bonam illius partem Herculi primo Ferrariensi Duci cessit: reliqua pars, quæ Alberto secundo remanserat, à Carolo V Ferrariensi Duci fuit donata.

Grafiniana vallis (inquit Leander) ultra citraque Sercium amnem jacet; (qui ex Apennino oritur supra Syllanum, & per mediam Caferonianam & propter Lucam tandé mari illabitur;) quæ vicis castelliſque haud infrequentibus nitet: altiusque in amnis dextra Castellum novum, cognomine Grafinianum; pernobile ac opulentum, & negotiatoribus frequens; olim cum aliis plurimis hujus tractus in ditione Bononiensium, nunc in Ferrariensium.

Porro Mutinæ Ducis filius (nam & connubia Principum noscere utile & necessarium est) anno CIↃ IↃC VIII filiam Ducis Sabaudiæ uxorem duxit: quæ obiit anno CIↃ IↃC XXVI.

Nobilissima autem hæc familia Atestina non modò in Italia illustris fuit à multis seculis, sed & nobiles familias in Germania propagavit, Brunsvicensem & Luneburgensem, Badensem, alias;

alias; connubiisque vincta fuit cum summis Principibus; uti plenius videre est in Historia Io. Bapt. Pignæ, qui elegantissime res gestas principum Atestinorum lib. VIII descripsit.

IX.

DE PARMÆ & PLACENTIÆ DUCE.

FARNESIORVM potentia sub Paulo III Pontifice primũ adolevit, qui sueto Pontificum more, filio suo Petro Aloisio, primo Novariam urbem à Cæsare Carolo V impetravit; dein nepoti suo è Petro Aloisio Octavio Margaritæ Austriæ Cæsaris filiæ & Alexandri Medicis Florentiæ Ducis viduæ nuptias conciliavit; & Camertium principatum, post Francisci Mariæ Ruveri vel Roborei Vrbinatium Ducis obitum, ab hærede illius extortum; causa quæsita, quod jam olim ad Ecclesiam per defectum masculi hæredis devolutus esset; grandique pecunia cunctis qui aliquid juris in illo prætendere poterant persoluta; Octavio Farnesio nepoti suo una cum Nepe ditione & Ducatus insignibus beneficiario

rio jure conceſſit, quum ipſum paulo ante in ejuſdem Roborei defuncti locum urbis præfectum dixiſſet. Anno autem CIↃ IↃ XLIV Parmam & Placentiam à Gallis olim conſervatas, demum Eccleſiæ ademtas, Petro Aloiſio attribuit, Camertium principatu & Nepe Dominio, quæ, contracto cum Octavio nepote & Margarita Auſtriâ matrimonio, avus ipſis liberiſque ipſorum conceſſerat, permutationis titulo in locum illarum civitatum viciſſim Eccleſiæ attributis; cum penſione VIII CIↃ aureorum, ut ſcribit Thuanus, vel ut Onuphrius X CIↃ aureorum annuo tributo impoſito. Rem graviſſime tulit Cæſar, quippe qui has civitates ad Mediolanenſe imperium pertinere contenderet: itaque licet urgeret Pontifex, ut id ratum haberet Cæſar, ille primo excuſare & tergiverſari, ad extremum dicere ſuarum non eſſe partium, ſiquidem illæ civitates Eccleſiaſticæ ditionis eſſent, de his ſtatuere; ſi vero ad Imperium pertinerent, non poſſe ſe in ditionis ac dignitatis Imperialis præjudicium illas alienare.

Petro autem Aloiſio omnibus vitæ ſceleribus infami, (& inprimis immani illo facinore, in Coſmum Gherium

rium Episcopum Faventinum patrato, quem primo frustra blanditiis tentatum, ad extremum specie colloquii in secretius cubiculum sevocatum, ope servorum, quamlibet renitentem, per vim compresserat; unde ille ex mœrore animi paulo post decessit;) & alioqui subditis suis supra modum invisо, à conjuratis nobilibus trucidato, Placentia à Cæsarianis intercepta fuit; Parma ægre à Pontificiis conservata; cui mox à Pontifice Camillus Vrsinus cum valido præsidio fuit impositus. Cumque Pontifex in Rege Galliæ adversus Cæsarem concitando frustra fuisset; placandi Cæsaris consilium cepit. mittitur Iulius Vrsinus; qui Margaritæ filiæ & nepotum nomine Cæsarem exoraret, ut Farnesios, quos in fidem accepisset & adfinitate sibi junxisset, tuendos susciperet, ac Placentiam ipsi per mortem patris, detestanda fraude occisi, ablatam restitui impetraret. Sed à Granvellano ad quem remissus erat Legatus objectis P. Aloisii mortui criminibus & insigni perfidia, quod homo quem Cæsar adfinitate sua dignatus esset, tanti beneficii immemor ad Galli partes transiisset, cujus perfidiæ conscium fuisse ipsum Pontificem ajebat; neque enim patris injussu tantas

res

res moliri ausurum filium, quas sine illius opibus exsequi non potuisset; etiam Parmam Cæsar reddi postulat, compensatione ampla ultro oblata. Ea non accepta Iulius cum Cæsaris literis peramanter scriptis, re nihilominus infecta, ad Pontificem revertitur. Rursus semel atque iterum Iulius ad Cæsarem mittitur, qui de Placentiæ restitutione eum urgeret. quam cum ad ditionem Ecclesiasticam pertinere pernegaret Cæsar, Iulius contra & Placentiam & Parmam, postquam oppignoratæ fuissent, ex novo fœdere in Ecclesiæ Romanæ ditionem translatas diceret, Cæsar fœderis tabulas exhiberi postulat, lætitiam animi præ se ferens si sibi ex fœdere facultas daretur, qua sine invidia rerum Imperii alienatarum, Farnesiis, quos filiorum loco habebat, gratificari posset. sed cum tabularum tantum exemplum exhiberetur, descriptum è Codice in Hadriani Mole adservato, in quem jura R. E. referri solent, & se ejus minime memorem Cæsar diceret; missus Didacus Vrtadus Mendoza Senensium præses, qui archetypum inspiceret. quod cum manu Cæsaris subscriptum non esset, nullius fidei esse judicatum fuit.

Pontifex de restituenda Ecclesiæ Par-

ma, & Camertium ditione Octavio nepoti cum ccc aureorum millibus, resoluta permutatione, rursus concedenda, quod minore cum invidia fieri posse existimabat, cogitare cœpit. verum Octavius, qui nõ desperaret se aliquando cum Cæsare transigere posse, induci non potuit ut Parma excederet. Interim dum Cæsaris animus placaretur, se veluti in Regis Galliæ tutelam dedit, à quo & Conchyliati torquis honore ornatus, & L hastatorum equitum præfectura donatus est. Pontifex à Cæsarianis, spe Senensis ditionis, compensationis loco pro Parma & Placentia accipiendæ, aliquandiu elusus. Rex autem Galliæ qui arma in Italiam transferre cogitabat, Pontificem solicitabat, ut Parmam Horatio alteri nepoti, quem sibi generum destinabat, traderet: Cosmus vero Pontificem ad Cæsaris partes pertrahere conabatur, & Octavii consilia cum avo reconciliare. quæ cum non succederent, Octavius de astu seu vi invadenda Parma præter avi voluntatem consilium cepit: sed spe sua falsus, cum Cæsare transigendum dicens, ad Cardinalem fratrem dat litteras, ut Pontificem de rerum suarum statu certiorem faceret, & ab eo impetraret, ut sibi

Parma

Parma restitueretur; alioquin fore, ut cum Gonzaga transigeret, & injuste sibi ablata Cæsaris ope & armis persequeretur. has literas cum Cardinalis Pontifici exhibuisset, ita senex excanduit, ut in animi deliquium incideret, & febri contracta intra triduum decederet.

Post Pontificis obitum à Cardinalibus jussus Vrsinus, ut Parmam Octavio traderet, tamen recusavit: Sed cum Iulius III. Pontificatum suscepisset anno cIↃ IↃ L, Parmam Octavio restituit, & summam Ecclesiæ præfecturam confirmavit: cumque videret, Parmam, vicino tam formidoloso hoste, non nisi præsidio teneri posse, initio in eam rẽ libenter pecuniam contulit; sed mox sententiam mutavit, alienoq; se prorsus ab Octavio animo esse ostendit; & cùm Octavius se in Regis Galliæ tutelam dedisset, Pontifex præcipiti animo Octavio bellum indixit: quæ res Cæsarem & Regem Galliæ rursus commisit. Anno demum cIↃ IↃ LVI. Cosmi interventu Octavius Farnesius Parmæ Dux cum Cæsare socero reconciliatus est, accepta Placentiæ, Novaræ, ac Novariensis territorii & castellorum in Parmensi agro à Cæsarianis occupatorum possessione, hisce legibus, ut Placentiæ arcibus præsidium Hispanorũ acciperet

& illud suo stipendio alere teneretur; manerent Imperio & R.S. salvæ rationes, quas in Parmensi ditione habent, &c. Obiit Octavius admodum senex an. clɔ Iɔ lxxxvi, cum Margarita illius uxor Caroli Cæsaris filia naturalis paulo ante Ortonæ, quæ illi dotalis erat civitas in regno Neapolitano, fatis concessisset. Successit Alexander filius rebus in Belgio gestis nobilis: qui anno superiore cum in Antvverpiæ obsidione hæreret, Philippum Hispaniarum Regem eo perpulerat, ut Placentinam arcem quam Hispani hactenus retinuerant, pene invitus restitueret. arcisque possessionem Ranutius Alexandri filius avi nomine caperet. Hic ann. 1592 decessit, ætatis xlvii; duos filios relinquens ex Maria Lusitana, Ranutium, qui ipsi in ditionibus successit, & Odoardum, qui postea in collegium Cardinalium cooptatus fuit. Margarita filia post nuptias cum Mantuæ Duce, conjugio inhabilis judicata, in cœnobium Placentiæ ultro commigravit.

Princeps Parmæ ann. clɔ Iɔ l. xxxviii duxit in uxorem Margaritam mediceam Magni Hetruriæ Ducis filiam.

X. De

X.

DE VRBINI DVCE.

ROBOREORVM gens, quæ originem ex Savona humili admodum loco habet, à Sixto IV condita, à Iulio II evecta, à Pontificibus qui deinceps secuti sũt, pene oppressa fuit. Nam Franciscus Maria Ioannis Mariæ F., Raphaëlis qui Sixti IV frater fuit, N., cum ex jure matris Ioannæ Guidi Vbaldi Feltrii sororis in Vrbini principatum successisset, à Leone X proscriptus & multis ac variis modis vexatus, tandem sub Hadriano, ac deinde sub Clemente, sub quo fœderatorum exercitus in Italia Dux fuit, aliquantum respiravit. Sed cum commoditate loci & proximitate allectus Camertium ditionem cum Vrbini principatu conjungere cuperet, occasionem quæ se in manus dabat, minime prætermittendam existimavit. Ioanne Maria mortũo ultimo ex familia Varanorũ, unica filia ex Catharina Ciboa legitimo matrimonio suscepta superabat; eam Franciscus Maria à matre, quæ sibi & filiæ metuebat, vixque se contra Sarram

Columnam Matthiæ Varani ſpurii ſocerum tueri poterat, Guido Vbaldo filio uxorem facile impetravit. Ita Camertium ditione potitus eſt, quouſque Paulus III, qui liberorum ad opes provehendorum cupiditate ſupra modum flagrabat, Camerteis, tanquam ad Pontificiam juriſdictionem pertinentes & per vim nullo titulo uſurpatos, ab eo repetiit. Iamque res ad arma ſpectabat, nec generoſus vir tot Palmarum Dux adduci poterat, ut qui Leonis tam vegeti potentiæ reſtitiſſet, effœti & decrepiti ſenis cōminationibus victas manus daret. Sed cum ſub id tempus jam rebus omnibus ad bellum paratis, fato conceſſiſſet, Guidus Vbaldus diſpar patri filius, Venetorum & Coſmi novi Florentiæ Ducis promiſſo auxilio deſtitutus, ut ſine periculo cætera oppida retineret, Camertium poſſeſſione ceſſit, quos mox ambitioſus & indulgens Senex Octavio Nepoti attribuit.

Hæc è Thuano. Guidus hic Vbaldus ann. 1547 mortua priore uxore, Victoriam Farneſiam Pontificis neptim in matrimonium accepit. Homo alienis auſpiciis & ſumtibus militare ſolitus, cujus alioqui ditio optimo milite abundat, & unde per Picenum in Samnium deſcenſus in promtu eſt.

Anno

Anno cIↃ IↃ LIV copiarum Pontificiarum præfectus à Paulo IV ab Ecclesiæ gubernaculis remotus: inde à Rege Hispaniæ Velleris aurei eques est factus, anno 1569. obiit anno 1574.

Successit illi filius Franciscus Maria II, Princeps humanus & literarum amans. uxor illi Lucretia Estensis Herculis II Ferrariæ Ducis filia. Scribit Boterus lib. XIV; Hunc, cum jam senex esset & sine prole, vereretur que, ne orbitate sua & obitu, Ducatus caduci jure ad Ecclesiam devolveretur, votum D. Francisco de Paula nuncupasse, atque ex ea prole mascula auctum, votum Augustæ Turonum persolvisse anno 1607.

Autor incertus qui anno 1624 rationem principatuum Italiæ inivit, de hoc Duce ita infit: Ducatus Vrbini paulo antiquior est Parmensi, ad Roboreorum familiam pertinens, per Iulium II P. multum auctus, qui nepotem suum familiæ Montisfeltrii, quę tum Ducatu potiebatur, per connubium insevit. periculum est ne Ducatus hic ad Ecclesiam revertatur haud secus quam Ferrariensis, quandoquidem eisdem conditionibus ab Ecclesia in feudum tenetur. Dux quippe octuagenarius jam ante paucos menses Prin-

cipem filium unicum amisit, qui uxorem reliquit prægnantem, unde successio incerta est, quippe cum tantum in masculum cadat. Papa autem ægerrime tulit, quod Dux nuper admodum Hispanum de tutela appellaverit, serioque postulaverit, ut status sui rationem habere dignaretur, haud frustra suspicatus, Ducem ista moliri in juris Ecclesiæ præjudicium. Cæterum Ducatus hic peropportunus esset Ecclesiæ statui, siquidem limites conjunctos & permixtos habent versus Marchiam Anconitanam; ipseque Ducatus, solo gaudet fertili, habetque quinque aut sex oppida, & annuum redditum trecentorum aut quadringentorum clo coronatorum. Hæc ille.

Mercurius Gallicus de hisce rebus scribit in hunc modum tom. x ad annum clo Ioc xxiv. Iulius II P. R., cui magis curæ fuit exaltatio familiæ suæ quam Italiæ quies, Ducatum Vrbini Laurentio Mediceo ablatum in nepotes suos contulit, additis Pisauro, Senegallia, & Ducatibus Montisfeltrii & Castelli Durantis, quæ feuda Imperii esse dicuntur. Porro feudorum Ecclesiasticorum ea est natura & conditio, ut soli mares iis investiantur, neque fœminæ quicquam juris in iis sibi pos-

sint

sint arrogare. Dux Vrbini qui hodie vivit filium unicum habuit, qui nuper subitanea morte decessit, relicta uxore prægnante, magni Ducis Florentiæ qui hodie rerum potitur amita, quæ paulo post filiam enixa est; quare Ducatus Vrbini post obitum præsentis Ducis absque dubio ad patrimonium Ecclesiæ rediturus est, neque umquam alteri in feudari poterit, propter bullas Papales, quas Papæ & Cardinales solemni juramento se observaturos promittunt. Iunior hic Dux paucos dies obiit ante Papam Gregorium XV. Vrbanus VIII qui illi successit nihil prius habuit quam operam dare ut Ducatus Vrbini patrimonio Ecclesiæ sine ulla contradictione aut imminutione reuniretur: atq: in hunc finem tres prælatos quibus fidebat, ad vicinas Ducatui provincias dimisit, cum potestate quantas possent copias cogendi, si quid in Vrbinate Ducatu moveretur. Causa præcipua erat, quod Papæ innotuisset, Florentiæ consilium captum esse de connubio inter Ducem Hetruriæ & filiolam hanc contrahendo, idque conscio & authore Imperatore. Imperator quippe Comitem Franciscum Gambaram legaverat ad Vrbinatem, in speciem quidem ut

ipsum consolaretur, revera autem ut ab ipso impetraret ut Ducatum Montisfeltrii & Castelli Durantis haud invitus pateretur post obitum suum ad Imperium redire, ea conditione, ut neptis illius iisdem investiretur, & per consequens Magnus Dux, qui ipsi maritus destinabatur. Hæc petitio nequaquam ita à Duce Vrbini fuit accepta, ac sperabatur; Dux enim qui reliquam ætatem quiete transigere desiderabat respondit, se Ducatum Vrbini & terras illi conjunctas, tenere à sede Apostolica beneficio Sixti IV & Iulii II; itaque non licere sibi consensum præbere ulli rei quæ juri sedis illius præjudicare possit; Imperatori autem, se defuncto, integrum esse cum Papa experiri. Quod frigidum Ducis responsum parum placuit Comiti, minusque Consiliariis Magni Hetruriæ Ducis. Papa eodem tempore ad Ducem Vrbinatem misit Cardinalé Cennini, qui ab ipso haud invito impetravit, ut solemniter profiteretur, se Ducatum Vrbini & terras omnes illi conjunctas, tenere à sede Apostolica, & ut post decessum suum deficiente masculo hærede ad patrimonium Ecclesiæ reverterentur, jam tum velle & percupere. Itaque Papa apud Ducem Hetruriæ institit,

stitit, ut & ipse tanquam futurus filiolæ Ducis Vrbinatis maritus, declarationem hanc ratam haberet; quod & post aliquot tergiversationes tandem obtinuit. Verum cum Papa jam omnia ex voto se consecutum putaret, incidit res, quæ bene coalescentem inter ipsum & Ducem Vrbini amicitiam pene dissolvit; Papa quippe ut res suas in Ducatu melius stabiliret, & consilia Ducis atque aliorum penitius scrutaretur, Santorium ad Archiepiscopatum Vrbinatem promovit, virum quidem doctum, sed rudem & ingenii fervidi atque adeo violenti; qui simul ac Episcopatum adiisset, cum se in Ducis gratiam insinuare eumque omni officiorum genere demereri debuisset, ob ceremonias quasdam cum ipso altercari & in consiliis ita dissidere ab ipso cœpit, ut etiam minaretur. Quibus rebus Dux supra modum irritatus, loca pleraq; munire & novis præsidiis Florentinorum & Neapolitanorum firmare instituit: quæ cum animi à Pontifice abalienati, & eorum quæ ante promiserat pœnitentis haud dubio indicia à plerisque acciperentur, Pontifex haud leviter angebatur; quibus accessit incertus rumor, Ducem Hetruriæ qui interim Ducis neptem ad se traduxerat,

duxerat, de matrimonio jam minus minusque cogitare, sed de illa Imperatoris filio elocanda agere; quo futurum erat, ut Imperator jus suum eo impensius urgeret, & Rex Hispaniæ, qui Papæ potentiam tanta accessione augeri invitus animadverteret, dissidium inter Papam & Imperatorem aleret, quantum posset. Ducatus autem Vrbini (inquit author) valet circiter trecenta millia coronatorum annui redditus; abundatque viris militaribus, qui inter omnes Italos longe excellunt, & armorum usu, & numero. Decem habet Episcopatus, duos portus maritimos, septem aut octo arces bene munitas; denique peropportunus esset Dominio Ecclesiastico, quod illius accessione ab uno mari ad alterum se extenderet. Neptis autem Ducis absque hoc etiam ditissima futura est; nam avus præter hunc Ducatum in regno Neapolitano possidet 1. mill. coronatorum annui redditus, quos percipit è variis agris & dominiis: itemque terras allodiales quamplurimas in ipso Ducatu, & trecenta aut quadraginta millia ducatorum in supellectile aliisque mobilibus bonis. Quid multa, dos illius haud dubio duas myriades aureorum superabit; neque facile

facile Dux Hetruriæ locupletiorem sponsam poterit reperire. Hæc ille ad annum 1624 Ad annum autem 1626 narrat: Vrbanum VIII, cum animadvertisset, Leopoldum Austrium Argentinensi & Passaviensi Episcopatibus relictis, cum Ducis nepte conjugium meditari, (inque illum finem jam ab Imperatore feuda Imperialia post discessum Ducis impetravisse,) neque quicquam sibi negotii cum Imperatore intercedere cuperet Papa, rem astu ita tractasse, ut Dux adhuc superstes, ipsi Ducatum omnem cesserit, centum millibus ducatorum pro machinis, armis & reliquo apparatu bellico arcium suarum acceptis; atque ita Papam jam Ducatus Vrbini potentem factum; & dominium Ecclesiasticum supra centum viginti milliaria in longitudine, à Terracina & ultimis regni Neapolitani limitibus, ad fines usque dominii Venetorum, ab ostio autem Tiberis ad Anconam usque juxta mare superum integram Italiæ latitudinem obtinere.

XI. De

XI.

DE MIRANDVLÆ & Concordiæ Comitibus,

E Thuani Histor. lib. VIII.

HIc locus (inquit) postulat ut de Picorum gente quæ nunc Mirandula & Concordia potitur, & ejus rebus, breviter edisseram. Omissis fabulosis initiis, quæ genti huic ab iis affinguntur, qui illius originem ad Constantium Constantini Magni F. referunt, constat, Picos primarios Mutinæ cives in ea civitate multis egregie factis ab anno Christi CIↃ CC X floruisse, ac demum CC circiter annis postea, Franciscum Picum a Ludovico IV Cæsare Vicarium Imperii in ea constitutum: sed mox Passarinum Bonacolsium inter Mutinenses civeis allectum, cum à Pico sibi timeret, eo de medio sublato & Prendiparte ac Tomassino ipsius filiis occisis, Mirandulam, quæ illis perfugium fuerat, solo æquari jussisse, anno Christi CIↃ CCC XXXI. Bonacolsio deinde à Gonzagis, qui tunc Mantua potiebantur, in ordinem redacto, rursus Mirandula instaurari & Picorum gentis reliquiæ colligi cœpere.

Ex

Ex Franciſco Nicolaus ſuperabat, qui Curiæ Quadragenariæ municipum favore adjutus, rurſus Mirandulam Gonzagarum beneficio recepit.

Nicolao Prendipartes & Prendiparti Paulus ſucceſſit. Hujus filius Franciſcus Ioannem & Franciſcum ſibi cognominem ſuſtulit; qui Concordiæ Comites à Frederico III creati ſunt.

Franciſco Ioannes Franciſcus & huic Nicolaus & Nicolao rurſus Ioannes; ac Ioanni, Ioannes Franciſcus ſucceſſit, is, qui arcem à nullo antea ſeptam maxima ſua impenſa cingendam curavit, anno Chriſti cIↃ cccc LX; & moriens Galeotum, Antonium Mariam, & Ioannem filios reliquit; Ioannem, inquam, illum qui ob admirabilem linguarum & ſcientiarum omnium accuratiſſimam ſcientiam, cum rara morum probitate & ſumma pietate conjunctam, jam in juvenili ætate ſeculi ſui Phœnix vocari meruit.

Hujus tam excellens & omni genere litterarum ornata pietas certe merebat, ut gens Pica exemplo domeſtico admonita, pietatem inter ſuos religioſius coleret: ſed cum Galeotus Ioannem Franciſcum, Ludovicum & Fridericum reliquiſſet, Ludovicus natu minor, jure gentium violato, in

Ioan-

Ioannem Franciscum insurgens ope Herculis I Ferrarien sis Ducis, fratrem Mirandula ejecit. is Franciscam Io. Iacobi Trivultii notham F. in uxorem duxerat, ex qua Galeotum sustulit.

Ludovico mortuo Ioannes Franciscus, & ipse in litteris ac Philosophiæ Theologiæque studiis patrui æmulatione versatissimus, à Iulio II in avitam possessionem restituitur, ex qua rursus post Ravennatem pugnam à Ludovico XII ejectus, postremo à Matthæo Lango Cardinali Gurgensi Maximiliani I Legato restitutus, Mirandulam usque ad annum CIↃ IↃXXXIII tenuit; quo Galeotus Ludovici F. noctu oppidum cum XL armatis ingressus, patruum, summa pietate virum, ante Christi in Cruce pendentis imaginem suppliciter prostratum, & Dei opem implorantem, immani parricidio obtruncavit, unaque Albertum filium; Ioanna Caraffa Alberti uxore cum Paulo filio in carcerem conjecta, & Carlota Vrsina Ioannis Thomæ alterius ex filiis itidem uxore. Ita per summum scelus Mirandula potitus, cum sibi merito à patruelibus timeret, anno CIↃ IↃ XLVIII Mirandulam in Henrici II Galliar. Regis manus tradidit, accepta in Gallia ex

lia ex regio patrimonio compensatione.

Anno dein cIↃ IↃ LXXI (inquit Thuanus lib L) Mirandulæ res turbavere. Nam Fulvia Corregia Galeoti Comitis vidua cum in suspicionem venisset, Ludovicum viri defuncti fratrem ac liberorum tutorem, qui, olim Lemovicum in Gallia Episcopus, postea vitam sacerdotalem ejeraverat; occulta consilia cum Ferrariensi, jamdudum Mirandulanæ ditioni inhiante, agitare, eum cum Oliva sorore, quæ specie amicitiæ ad visendos fratris filios venerat, intempesta nocte oppido expellit: moxque ad Regem Galliæ, in cujus patrocinio Mirandula erat, dat litteras, quibus factum necessitate excusabat. Arnoldus Ferrerius regius apud Senatum Venetum Orator, cui id negotii datum fuerat, cum de re per indicia ac probationes diligenter cognovisset, ad Regem retulit; qui non solum id dissimulavit, sed tutelam Galeoti liberorum Corregiæ matri attribuit, & cc militum præsidio Duce Artuserio locum firmavit. Hactenus Thuanus.

Ita dudum Mirandula sub patrocinio Galliæ Regis mansit; an autem Mirandulani ab illius patrocinio recesserint, nondum inveni.

XII.

IVDICIVM

Illustriss.

CARDINALIS OSSATI

de Italiæ Principum potentia & affectu erga Papam aut alios Principes; in Epistola ad Regem Galliæ anno 1597. In controversia Papæ cum Ferrariensi Notho.

QVANTVM (inquit) ad Principes Italiæ in genere attinet, Majestas tua minime ignorat, quanta invidia Principes inter se flagrent. Vix unus reperitur, qui vicini sui potentiam augeri cupiat, nisi forte quia incrementum unius, deminutio est alterius potentioris, cujus potentia adhuc magis invidiosa est. Hæc invidia vel maxime Italorum Principum animos occupat, & inprimis nolunt plerique omnes Papæ potentiam in temporalibus crescere. quippe cum in spiritualibus supremus sit totius Christianitatis, ita ratiocinantur, illum armis spiritualibus & censuris Ecclesiasticis, & sola infula sine ullis armis téporalibus, sub jugum misisse aliquando maximos Principes, Reges, & Imperatores longe potentiores quam

sunt

sunt hodie omnes & singuli Principes Italiæ conjunctim; & verentur si supremæ huic potentiæ spirituali, jam satis per se formidabili, insignior aliqua potestas temporalis accesserit, qualis lapsu temporis per tot feudorum Ecclesiasticorum ad patrimonium Ecclesiæ reditum absque dubio sperari potest, se nequaquam ipsi pares esse posse, quandocunque cum ipsis voluerit contendere. Fatentur nihilominus, plerosque Papas bonos esse ac justos; sed nonnumquam inter illos reperiri à quibus nihil humani alienum siet; atque in eum finem ad memoriam revocant bella singularia quæ Pontifices aliquando adversus Principes & Respublicas Italiæ gesserunt. Quibus addunt, nũquam defuturas occasiones & causas dissidiorum inter Pontifices & Principes Italiæ, vel ratione Iurisdictionis Ecclesiasticæ, cujus respectu Pontifex ut plurimum de omnibus queritur, & hodie maxime de Hispanis in Ducatu Mediolanensi, & magis adhuc in Regnis Neapolitano & Siciliæ.

Sed ut de singulis jam particulatim agamus: Rex Hispaniæ vel maxime iniquo animo feret Papæ potentiam in temporalibus incrementum capere, cum sibi conscius sit, quemadmodum

meliorem & potiorem Italiæ partem possidet, & limites cum Ecclesiastico dominio conjunctos habet, ita etiam crebrius & quasi quotidie sanctæ Sedi, tam in Iurisdictione, quam juribus Ecclesiasticis, injuriam facere. Solus quoque omnium Principum exterorum in Italia dominatus possidet, Principesque Italiæ illius solius dominationem & viciniam haud satis æquo animo ferunt; idem quoque particulariter potentiam Pontificis temporalem reformidat, quæ supra alios illius ruinam & libertatem Italiæ, quam Hispani opprimunt, potest promovere; quemadmodū aliquando nonnulli Papæ tentarunt facere, & haud ita pridem Paulus & Pius quartus & Sixtus quintus, si diutius superfuisset. Quinetiam Cæsar Estensis illum judicem à Papa postulat, & Pontificem rogat ut litem hanc arbitrio Majestatis Archicatholicæ velit deferre.

Post Regem Hispaniæ, meo judicio, Veneti omnium minime optabunt Ducatum Ferrariensem ad sanctam Sedem reverti, tum quod sapientissimi sunt mortales, & dominii sui retinentissimi, quiq; diligentissime prospiciunt omnia quæ ipsis aut prodesse aut obesse possent, tam è vicino quam è longinquo;

ginquo; tum etiam quod præoptent vicinum habere particularem potius Ducem Ferrarienſem, quam Pontificem Ducem Ferrarienſem & præterea tot aliorum principatuumDominum. Accedit cauſſa peculiaris quæ illos inprimis movet, quod jam dudum è Ducatu Ferrarienſi uſurpaverint Comitatum Rovigo, atque alias ditiones, quæ una cũ Ducatu Ferrarienſi ad ſanctam Sedem reduci debere dicuntur: quare ſi Ducatus ipſe dominio Eccleſiæ reſtituatur, & reuniatur, difficulter ſeſe excuſare poterunt ab iis, quæ ipſi jam detinent, ſimiliter reſtituendis.

Magnus Hetruriæ Dux tantumdem aut amplius, incrementum & exaltationem ſanctæ Sedis ſuſpectam habet, quam alius quivis Italiæ Princeps, quia non ſolum fines dominiorum ſuorum cum ipſa conjunctos habet, ſed quaſi permixtos & terris Eccleſiæ inſertos. PræterеaDucatus Florentinus haud ita antiquus eſt, ut Reipublicæ Florentinæ & Senenſis memoria jam excidiſſe potuerit ex animis multorum, imo ne Pontificis quidem; & quædam diffidentiæ mutuæ inter hos Principes tam vicinos indicia animadvertere eſt: Sedeſque Apoſtolica jus aliquod ſibi vendicat in nonnulla Hetruriæ loca, quò-

rum unus est Burgus S. Sepulchri. Cæterum Cæsar Estensis sororem magni Ducis in matrimonio habet; & ex illa liberos, qui sunt magni Ducis cognati: quare haud frustra plerique judicant, ipsum, Ducatũ Ferrarienſem affini suo & cognatis, quam Papis, præoptare.

Dux Mantuanus limites jungit cum Ducatu Ferrarienſi, & affinitate junctus est tam cum familia Estensi, quam cum Magno Hetruriæ Duce, quippe cujus soror uxor fuerit postremi Ducis Ferrarienſis, & jam vidua sit, ipse autem cognatam magni Ducis in matrimonio habeat. Mater illius è familia Austriaca fuit, amita Imperatoris, & cognata Regis Hispaniæ: Nihilominus certior factus sum, illum auxilia sua prolixe Pontifici detulisse contra Estenſem, & jam tum conatum esse, oppidum Ducatus Ferrarienſis in finibus Mantuanis, Bresset nomine, ex insidiis intercipere. Quinetiam (præterquam quod alias forte causas & prætenſiones habere potest) Dux Ferrarienſis nuper defunctus, sorori ipsius viduæ, tantum ad vitam reliquit quatuor millia coronator. annui redditus.

Comes Mirandulę, vicinus est utriusque Ducis & Ferrarienſis & Mantuani, habetq; in matrimonio Cæsaris Estenſis

sis sororem ; & sunt qui ipsum jam illius partes amplexum dicant; sed neutiquam verisimile est, illum adeo præcipitem fuisse, cum satis tempestive venire possit, & gratias à sancta Sede expectet, & ab hoc ipso Pontifice, tam sibi quam fratri suo Alexandro: & jam certior fio ipsum Pontifici significasse sibi propositum esse neutrarum partium esse.

De Sabaudiæ Duce quid dicam nescio, & forte ne ipse quidem novit, cui potissimum adhæreat, tantum ipsi negotii est domi. credo equidem nisi tam egregie à M. T. per Dediguerium fuisset castigatus, ea arrogantia fuisse futurum, ut parum curaret cui potissimum Ferrariæ Ducatus cederet, & à quocunque tandem illum se abripere posse speraret, non minus quam Marchionatum Saluciarum Regi Galliæ eripuit, etiam eo tempore quo conventus omnium Ordinum Regni agebatur; hoc facto evidenter demonstrans, se ne flocci quidem facere Majestatem Christianissimam, neque totam adeo Galliam. cujus facinoris castigatio, ad exemplum posteritatis, divina providentia fortitudini & felicitati M. T. fuit reservata.

Nihil hic de Vrbinatium Duce di-

cam, quia, licet Cæsar Estensis sit illius è sorore nepos, & ipse Dux defuncti Ducis Ferrariensis sororem in matrimonio habeat, tamen propter divortium ipsius ab uxore jam à longo tempore, hæc affinitas potius decrementum, quam incrementum attulit, harum duarum familiarum amicitiæ & mutuæ concordiæ. Dux autem Vrbinatium cum se postremum familiæ suę marem animadverteret, & Ducatum post obitum suum necessario ad S. Sedem rediturum non ignoret, potius contemplationi quam actioni se addixit, videturque omnino quiete vitæ periodum velle absolvere. præterquam quod certo cognoverim ipsum ad literas Cæsaris Estensis, post mortem postremi Ducis ad se scriptas, ita respondisse, ut & titulis honoris parceret, neque illum Ducem Ferrariensem agnosceret: & certe minus vicinus est directo Domino, quam ut ipsi ullum præjudicium ausit facere.

Non magis de Genuensi Republ. hic loquor, quia præterquam quod potentia illius tantum mediocris sit, composita est ex hominibus, qui plus suarum rerum satagunt, quam publicarum; & cum Regi Hispaniæ obnoxii sint, causas habent partim metuendi ipsum & nihil

nihil quod ipsi ingratum sit faciendi, partim propter injurias quas quotidie ab illo accipiunt, favendi illis qui ipsum in ordinem possent cogere & ipsos ab tyrannide illius liberare : & certe se nonnihil Pontifices commodis studere, ipsique placere velle demonstrant.

Lucensis Resp. tam exigui momenti est, ut non sit operæ precium illius hic meminisse, aut illius rationem habere; metuit quippe vicinos suos omnes, & Ducem Ferrariensem tam iniquum experta est in finibus dirimendis, ut pejus timere ab Ecclesia neutiquam possit.

XIII.

DISCVRSVS POLITICVS DE PRINCIPIBVS ITALIÆ,

Quo animo & inter se, & erga Regem Hispaniæ affecti sint, & de singulorum viribus, è Gallico anonymo scripto.

REx quidem Hispaniæ magnam Italiæ partem tenet, sed non magna emolumenta ex Regnis illis & Provinciis percipit, quia expensæ rationes, acceptæ aut æquant aut non raro superant.

Quemadmodum autem ingenia subditorum illius in Italia multum inter se diversa sunt, ita etiam rationibus multum diversis ab ipso reguntur: Neapolitanis quippe imporenter, Siculis gratiose, Mediolanensibus temperate dominatur: Neapolitani enim natura sua arrogantes, seditiosi, semperque avidi rerum novarum, & jugum Hispanicum impatienter ferunt, & nisi tam duriter haberentur facile excuterent. Variis autem mediis utitur ad mutabiles hosce populos in officio continendos. Nam pessimum quemq; & seditiosissimum per crebros delectus exhaurit, & alio ad bellum in Germania aut Belgio gerendum traducit; potentiores vero vanis titulis & honoribus, quorum supra modum ambitiosi sunt, sibi conciliat atque devincit, cum nullis nisi Hispanis, aut sibi serviliter addictis principalia & utilissima Regni munia mandet: Proreges autem vigilantissimos huc mittere consuevit, qui omnium actiones atque inclinationes sedulo inspiciunt; potissimum autem dant operam ut intra triennium, quo plerumque præsunt, ingentes thesauros sibi conquirant; itaque & plebem misere exhauriunt, & omnes omnino gravant; idque eo liberius & accura-

tius,

tius, quia certo judicio id facere præ se ferunt, ne populus nimia opum affluentia insoleſcat, & ad ſeditiones ad quas per ſe ſatis propendet eo proclivius ruat. Siculorum autem longe alia eſt ratio. nam & ſponte Regibus Hiſpaniarum ſe ſubdiderunt, & diu in obſequio perſtiterunt. quare multis privilegiis atque immunitatibus à Regibus donati ſunt, quæ Rex ſtudioſe cavet ne ulla ex parte imminuantur. nam cum gens ita à natura comparata ſit, ut nec ſervitutem ferre poſſit, nec plenam libertatem, ſitque ingenio facile irritabili, & ſemel irritati atque commoti ægerrime ad quietem reducantur, ſtudioſe providet Hiſpanus ne irritentur. itaque pauci admodum Proreges jam à centum annis Siciliæ præfuerunt, quos non Siculi poſtquam è Provincia abierant, graviter apud Regem accuſaverint, quique non aliqua cenſura aut nota fuerint eo nomine affecti. In ſumma Siculi lubenter Hiſpanis parent, Neapolitani inviti, itaque & diverſo modo ab Hiſpanis habentur, evidenti diſcrimine inter voluntarium obſequium & coactum. Mediolanenſis denique Ducatus, qui, Franciæ vicinior, alteram velut Italiæ extremitatem occupat, media inter utraque Imperia

via

via gubernatur. Lombardorum enim ingenia obtusiora sunt & inurbana. itaque facilius in ordinem coguntur; licet non minus hic quam alibi dominationis firmamenta, arces, aliaque loca munita, & præsidia idoneis locis disposita cernantur; & potissima Reipublicæ munia in Hispanos aut valde obnoxios conferantur. Dux autem Feriæ homo sagax & prudentiæ singularis, Domini sui potentiam hic mirum in modum stabilivit, & Rhætorum plerisque aut conciliatis aut servitio pressis ita munivit, ut in rebus in integrum restituendis plurimum à vicinis laboretur, & hactenus frustra. Porro Mediolanensis hic Ducatus longe maximi momenti est ad Regis Hispaniæ res in Italia stabiliendas. nam exercitibus illius aditum in Italiam aperiunt, per Genuatium portus; qui perpetuo ipsi parent, cum per Neapolitanum regnum & longior & impeditior via sit. Idem & delectibus habendis, & copiis conjungendis aptissimus est; & proclive est, è Mediolanensi Ducatu militem in Germaniam, aut per Burgundiam in Belgium, aut alio traducere. Itaque Hispanus de Ducatu hoc conservando plurimum sollicitus est, haud ignarus, Principes æmulos aut offen-

offenſos plurimum illi inhiare, eoque ſemel amiſſo perdifficile ipſi futurum & Neapolitanum regnum conſervare; contra autem quandiu illo potietur, & vicinos Principes quorum finibus imminet facilius coërceri, aut ſi hoſtile quid moliantur, ex hac veluti arce invadi poſſe. Tamdiu autem hæc opportunitas duratura eſt quamdiu amicitia inter ipſam & Rempubl. Genuenſem conſtabit. quam diuturnam & perennem fore vix dubium eſt, multis quippe & officiorum & neceſſitatum vinculis aſtrictam; niſi Princeps aliquis, pari cum Hiſpano aut non multum inferiori potentia, & utriſque æque infenſus, Principum Italiæ ope Genuam intercipiat, ut facilius Mediolanenſem Ducatum Hiſpano ereptum eat. Sed tantum abeſt ut ab hac parte potentia Hiſpani minuatur, cum nuper adhuc majus incrementum ceperit, Monaco nuper intercepto, & Finalio & Plumbino acquiſitis, poſtquam jam Coregii & Mirādulæ compos eſſet factus, Dominis illorum Dominiorum in clientelam receptis. Itaque quod illi à Regni Neapolitani parte propter Eccleſiaſtici dominii vicinitatem non licet, ab hac parte potentiam ſuam in Italia augere & fines ſuos promovere fatagit

git. Quam ſiniſtro autem oculo à Venetorum Republ. & Sabaudiæ Duce, tam propitio à Genuenſibus ab una; & à quinque pagis Helvetiorum qui Regi Hiſpaniæ particulariter confœderati ſunt, ab altera parte adſpicitur. Quibus accedit & Tridentinæ urbis & adjacentium regionum opportunitas, quibus pro libitu utitur Rex Hiſpanus, Madrucos illarum Dominos in temporalibus & ſpiritualibus, jam dudum plurimis donis & officiis in hunc modum demeritus, ut nihil non ipſi concedant: Vt vere dici poſſit, Hiſpanum jam omnium harum terrarum à mari Genuatium ad radices Alpium, atque ultra, potentem eſſe: quibus ſi vallem Tellinam cui inhiat, & quæ jam in Rhætorum finibus occupavit, adjungas; & magnum triremium numerum quas in hoc mari poſſidet; non difficile ipſi fore videtur, reliquam Italiam, ad Principatum Auſtriæ & Imperium Germaniæ adjungere.

Verumtamen jam tempus eſt ſerio perpendere, poſt tam ampla Dominia quæ Rex in Italia poſſidet & quæ fere dimidiam illius partem æquant, quid denique in Italia reliquum ſit, quod tantæ Hiſpaniæ potentiæ opponi poſſit, atque adeo impedire ne reliquam

Ita-

Italiam, quod jam diu meditatur, sub jugum mittat. Principatus ergo Italiæ conditionis sunt diversæ, atque adeo duplicis, alii enim quidem ampli sunt & potentes per se, sed soli potentiæ Hispanorum minime pares; ut Respubl. Veneta, Dux Sabaudiæ, Magnus Hetruriæ Dux & Pontifex Romanus: alii vero parvi momenti, & qui omnes simul vix tantum possiunt, quantum unus horum quatuor, ut Duces Mantuæ, Mutinæ, Parmæ & Placentiæ, Vrbini: nihilo tamen minus omnes de libertate sua conservanda solliciti. quare & omnes, sed magis impotentiores, Hispanum metuunt, & quo minus amant, eo magis in speciem se venerari illum simulant: nonnulli & patrocinium illius occultis quibusdam officiis ambiunt & demerentur: ab hac autem simulatione ne magnus quidem Hetruriæ Dux penitus liber est, qui non raro Regem Hispaniæ venerari & suspicere visus est, cum revera illum abhorreret & hostium illius molitiones clanculum adjuvaret.

Venetorum autem & Papę longe diversa est ratio. Hic enim propter supremam in spiritualibus dignitatem, ab Hispano qui Catholicissimus haberi vult, demisse in speciem colitur, licet

revera

revera ne in minima quidem re, ubi quicquam inter ipsos controvertitur, Pontifici concedat. Veneti autem fiducia virium suarum & animorum, uti non facile tam potentem vicinum palam offendere in animũ inducunt, ita nihil quicquam ipsi concedunt: sed sedulo sibi per prudentia consilia ab ipso cavent, & clam hostibus illius vires animosque subministrant, nullum autem ipsi bellum movent. Sabaudiæ Dux licet dudum partes Hispanorum secutus fuerit, non sine damno reliquorum Principum Italiæ, tamen po[illegible] ea in contrarium vortit, & paulo ante cædem Regis Galliarum, cum quo consilia secreta habebat, etiam hostilia ausus fuit, neque ab illo tempore, aut infensus Hispanis, aut apertus inimicus esse desiit. Ex quibus omnibus licet satis appareat, quo animo Principes Italiæ erga Regem Hispaniæ affecti sint; & quid Rex Franciæ illius æmulus ab iisdem expectare possit, à quo nihil libertati suæ adhuc metuunt, & plurimum sperant securitatis: Tamen non abs re fuerit singulorum Italiæ Principum & vires ponderare, & quo animo erga hunc illumve Principem affecti sint, paulo diligentius inquirere.

Veneti reliquos Italiæ Principes & poten-

potentia & dominii amplitudine longe præcellunt. fines autem habent ab una quidem plaga dominium Ecclesiasticum per Ducatum Ferrariensem, ab altera Ducatum Mediolanensem, à tertia Rhætos & regiones quæ hodie Austriis parent, denique in Dalmatia & ceteris Provinciis quas ad mare Hadriaticum occupant, Turcas. Dominium autem illorum omne contiguum, & optime per se distinctum; in limite autem munitissimis qua urbibus, qua arcibus undiquaque vallatum; quales sunt Vrsinovi, & Palma in finibus, vel ut quidam volunt in ipsa ditione Austriorum versus Forum Iulii. Porro inter ea quæ Veneti in continente possident, excellunt Lombardiæ quædam partes, sive oppida respicias Patavium, Vincentias, Veronam, Brixiam, Bergamum & plura, & opum affluentia, & munimentis præclare adversus hostes quoscunque comparata: sive agrorum fœcunditatem; è quibus non minus quam ex commerciis maritimis ingentes fructus percipiunt: Ii si ipsis credimus quotannis ad tres quatuorve milliones auri ascendunt, & licet alii minorem summam prodant, tamen magis verisimile est, rem ita uti fertur sese habere, ea est ditionis

illorum amplitudo & ubertas: quibus accedunt artes ipsis fere peculiares, quibus è subditis suis haudquaquam invitis, ampla tributa emungere norunt: quæ per se gravia, eo æquius & facilius tolerantur, quia ab omnibus æquabili temperamento exiguntur. Magnum autem thesaurum quotannis accumulare creduntur. nam licet immmensos sumtus faciant, in arcibus restaurandis, præsidiariis militibus alendis, triremibus fabricandis & instruendis, & similibus; idq; adeo splendide, ut nihil addi posse videatur; tamen tanta tamque accurata œconomia singula dispensant, ut plus uno coronato efficiant, quam alii binis. Vires illorum maritimas longe maximas esse vel solum illorum armamentarium fecerit fidem.

Nam cum pene soli toto illo mari Hadriatico dominentur, omnino pluribus triremibus & navibus ipsis opus est: ad maris Hadriatici ingressum, Insulam Corcyram possident, bene munitam; dein Cephaloniam, denique Cretam maximam & populosissimam insulam; è qua se decem millia militum educere posse non dubitabant, cum sibi cum Pontifice interdicti causa belligerandum nuper existimarent

Cæte-

Cæterum & Albanorum copiis è Dalmatia adjuvantur; & par est credere, nunquam ipsis milites, quandiu hisce opibus cluent, defuturos. Civitas denique illorum, quod rei caput est, ita à natura munita est, ut jure inexpugnabilis censeatur: Nam cum superiori seculo Confœderati Principes omnia ipsis eripuissent quæ in continenti possidebant, tamen ipsam urbem aggredi nunquam tentarunt; qua salva, longe minori negotio, sua paucis annis fere soli recuperarunt, quam potentissimi totius Europæ Principes eadem conjunctim illis eripuerant. Cæterum Veneti jam à multis annis & postquam Rex Hispaniarum Mediolanensi Ducatu est potitus, hoc tantum videntur agere ut sua tueantur. nam cum jam olim loca quædam de Ducatu Mediolanensi delibaverint, hodieq; possideant, quæ Rex Hispaniæ maximopere sibi restitui desiderat, aut eripere per occasionem non omitteret; est cur ab hac parte & in continenti hunc vicinum, vel si verum dicendum, inimicum metuant: in mari vero Turcam, qui superiori seculo ipsis Cyprum eripuit, & haud dubio Cretæ inhiat; unde sollicite cum ipso pacem colunt. Monstri autem simile videri merito

possit, quo pacto hæc Respublica inter duos tam potentes Principes sua hactenus conservare potuerit. Superioribus quidem annis bellum gesserunt cum Ferdinando tum Archiduce, nunc Imperatore, eique facile pares, si non superiores, ab omnibus habiti, sed quia metuebant ne Rex Hispaniæ se Austriacis adjungeret, pacem incerto belli eventui prætulerunt. Vt autem se adversus tam potentes adversarios facilius tuerentur, paulo ante Regis Henrici IV cædem, & quidem ipso authore; cum Illustr. Confœderati Belgii Ordinibus fœdus fecerunt, ipsisque & subsidia miserunt pecuniaria, & militares copias ab ipsis acceperunt: nam licet ingenti terrarum intervallo à se invicem disjungantur, tamen classium, quibus valent, ope sibi invicem præsto esse possunt, aut saltem nummorum copia se mutuo adjuvare. Ad eundem modum anno cIↃ IↃc xIv cum Bernatibus & Tigurinis in Helvetia fœdus fecerunt, nec non cum Rhætis, licet minus prospero successu. Denique cum Turcam propter pacem quam diligenter cum ipso colunt hodie parum metuant, solum autem Hispanum in Italia vereantur, omnes omnino Principes Europæ cujuscunque demum religionis

ligionis sint, fœdere aut amicitia sibi propitios reddunt; Regem autem Galliæ in quo summum sibi præsidium collocant, inprimis venerantur.

Post Venetos secundum sibi locum flagitare videtur Dux Sabaudiæ, cum propter eximias ipsius virtutes, animi magnitudinem & rerum militarium juxta ac politicarum scientiam; tum propter ditionis illius amplitudinem; nam transitus ex Gallia per Alpes in Italiam potens est; Sabaudia quidem Delphinatui, Pedemontana autem regione Provinciæ imminet; Comitatu autem Astensi (quem tamen Hispanus suum esse jactat) in Mediolanensem Ducatum longe lateque invadit. Ducatum denique Montisferrati ad se pertinere contendit, qui magnam partem Pedemontii occupat, & hodie à Duce Mantuæ possidetur. Sed Rex Hispaniæ qui Ducis potentiam tanta accessione augeri non vult, numquam videtur permissurus ut illum Mantuano eripiat. non magis & Veneti ipsi adversus Mantuanum fauturi sunt ob eandem causam; quippe quibus hoc veluti imperii secretum propositum est, imbecillioribus adversus potentes auxiliari, nec quemquam tamen in Italiain tantum crescere sinere, ut ipsis

formidabilis esse possit; quemadmodum autem Veneti Sabaudum adversus Mantuanum numquam auxiliaturi sunt, ita illum ab Hispano opprimi numquam patientur. Porro hic Princeps variis fœderibus res suas stabilire satagit atque in eum finem etiam amicitiam colit cum Rege Angliæ, Fœderati Belgii Ordinibus, Principibus Germaniæ, & præsertim Electore Saxone, quia ex hac familia genus ducere perhonorificum sibi putat. Quia autem jam cum Hispano haud satis bene ipsi convenit, amicitiam Regis Galliæ studiose captat, & omnibus officiis demeretur: quippe potentissimis hisce Principibus Gallo atque Hispano, æque opportunus, utri eorum accesserit, illi magnum momentum afferre potest; sed difficili inter utrumque temperamento, vix tantillum in unum inclinare potest, quin statim alteri suspectus fiat, eumque offendat. Venetos neque metuit, neque ab illis metuitur; cum nihil ipsi cum illis intercedat negotii, quippe finibus longe ab illis diviso. Cæterum par utrisque sollicitudo & libertatem Italiæ conservandi, & sedulo cavendi, ne potentia Regis Hispaniæ majus hic incrementum capiat. Ius autem sibi arrogat in oppidum Genevense,

venſe, quod jam aliquoties intercipere conatus fuit irrito eventu: itemque in Valleſiæ partem, quam Gallicè vocant *le pays de Vaux*; quam à majoribus ſuis tantum exigua pecuniæ ſumma Bernatibus oppignoratam fuiſſe contendit; verum cum Bernates nimium potentes ſint, quam ut illos poſſit cogere, hactenus fruſtra illam repetiit. Atque ita majori ſpe; quam opera, & majoribus animis quam viribus pollens, toto vitę curſu cum fortuna ſua luctatus eſt, & nunc ad Galliæ Regem, nunc ad Hiſpanum inclinando, ab utriſque obtinuit, quæ alter ipſi eripuerat; pro re nata, res ſuas alterutrius viribus confirmaturus. Mirum autem merito videri poteſt, quibus modis tantis ſumtibus quos in poſtremum bellum contra Hiſpanum impendit, par eſſe potuerit, licet conſtans opinio ſit à Venetis ipſum fuiſſe adjutum: magis adhuc mirum, cum ſubditos ſuos ſupra modum exactionibus continuis gravare cogatur, illum tanto affectu à ſuis diligi & coli, quanto vix ullus alius Princeps in Europa.

Sabaudia fere tota mõtoſa eſt, & paucis fertilibus vallibus exceptis, fere indigens & frugum infœcunda: Sed Pedemontana regio multo locupletior

est & fœcunditatis Lombardiæ particeps: Vtriusque redditus annui ad duas milliones aureorum putantur ascendere: præter hæc neque extraordinarii ærarium augendi modi ipsi desunt. neque fides apud exteros. Denique si fortuna, illius magno animo responderet, quemadmodum post Hispanum facile cæteros Italiæ Principes potentia præcellit, ita & inter potentes Europæ Principes omnino esset numerandus.

Post Sabaudum, jure sibi locum flagitat magnus Hetruriæ Dux. cujus ditiones cum Ecclesiastico Dominio fines jungunt ab una parte, cum Genuatium terris ab altera. Regiones illius maxima parte montosæ sunt, sed ditis & fœcundæ glebæ, plenæ munitis oppidis; & longo littorum ductu secus mare Tyrrhenum porrectæ: ubi nova urbs Livorno cernitur; cujus portus facile omnium qui ad hoc mare jacent primus habetur. Hic & Iluam Insulam possidet, & arcem Cosmopolin, in qua Equites S. Stephani degunt, qui cum triremibus hujus Ducis, in mari Mediterraneo jam famam meruerunt. Magna quoque hujus Principis potentia in terra. nam magnam regionem possidet, longam tamen potius quam latam, & frequentissimam populo,

non

non modo induſtrio, ſed & bellicoſo, ſi uſus & exercitatio accederet. Sed principatus illius recentior eſt, & ſuperiori primum ſeculo natus. quare & vigilanter ſubditos ſuos obſervat, haud fruſtra metuens ne populi hi, qui ingenio atque animi magnitudine inter reliquas Italiæ nationes eminét, priſtinã aliquando ſatagant recuperare libertatem; præſertim Senenſes, qui ſecundam civitatem hujus Ducatus obtinent, vi atque armis à majoribus illius ſub jugum miſſi. quod ne nunc quidem ſatis patienter ferunt. quare & arcem munitiſſimam urbi impoſuit, & principalium oppidanorum dicta factaque curioſe rimatur. Qui hodie rerum potitur Dux, ſub tutela eſt aviæ ſuæ, Ducis Lotharingiæ ſororis, & matris ſuæ Imperatoris Germanæ; Itaq; domui Auſtriacæ ſanguine conjunctiſſimus, nec minus Franciæ propter matrem præſentis Regis: quæ res ipſi & foris & domi magnã dignationem adfert. Aula illius plus habet veræ magnitudinis, quam pompæ; nam modicam familiam alit; & cum redditus illius annui facile ad duos miliones aureorum aſcendant, magnam illius partem in ærarium recondit; nam haud ita magnos ſumtus facit in quaſdam

arces & triremes: præterquam quod magnum thesaurum ab avo Ferdinando congestum possidere credatur. Regi Hispaniæ Senarum nomine homagium facit, cætera liber, nullique obnoxius. Licet autem principatus illius novitius sit, tamen ita bene & intus & foris constabilitus est, ut difficulter subrui possit, modo bene ipsi cum Rege Hispaniarum & Papa conveniat; Utrumque autem hodie propitium habere nihil est dubitandum, cum ille tot affinitatis & consanguinitatis vinculis ipsi colligatus sit, hic autem in ditione ipsius natus & educatus. Præterea Regem Hispaniæ multis officiis & obsequiis demereri satagit, exemplo majorum suorum, qui sæpe Gallis, plene & plane Hispani partibus adhærere visi sunt, licet Dux Ferdinandus Regi Galliæ in rebus arctis clam subsidia submiserit; quo nomine pene è gratia Hispani excidisset, nisi novis officiis ipsum postea placasset. Quantum itaque hodie conjectura assequi possumus, utrumque Regem pari quidem obsequio colit, Hispanum tamen magis metuit quam Gallum.

Porro Dominium Ecclesiasticum maximi est momenti, tam per se, quam ratione illius à quo possidetur: Quia tamen

tamen Papæ optimè norunt quantum ipsis ab omnibus deferatur, propter supremam in spiritualibus dignitatem, & quia plerumque jam provectæ ætatis ad hoc fastigium ascendunt, non magnopere student limites suos munire; neque sane necesse est; nam cum limites jungant ab una parte cum Regno Neapolitano, ab altera cum Venetis & Ducis Hetruriæ, quibus hoc jam satis notum, nihil se Papæ posse eripere, quod non mox restituere cogantur ingratiis, non est quod sibi à vicinis suis metuant. Redditus Papæ ad decies & octo centena milia coronatorum putatur ascendere; sed potentia illius & authoritas longe major est, neq; ex ærarii copia debet censeri; nam ratione præeminentiæ quam sibi vendicat, arbiter non modo Italiæ est, sed & totius Christiani orbis; omnibus singulorum Principum causis, controversiis, actionibusque se immiscet, & plurimum potest etiam ubi nihil posse videtur, & quacunq; inclinat, magnum ubique adfert momentum, aliorumq; conatus aut animat aut enervat; quare & à potentissimis officiose colitur, & ab impotentioribus serviliter adoratur. Huic tamen potentiæ aut augmentum aut decrementum affert ipsius Papæ

aut

aut præstantia aut vilitas, quemadmodum sæpe experientia comprobavit. Studiose denique satagunt pro modo Rex Hispaniæ & Galliæ, ut sibi obnoxios aut saltem non infensos ad hanc dignitatem promoveant.

Post potentissimos hosce Italiæ Principes & Respubl. secundo loco considerandi sunt illi, qui licet superioribus multum potentia concedant, & per se singuli minus possint, tamen alicui superiorum conjuncti non leve pondus addunt, & plurimum valent ad cæteros ab Hispani violentia tuendos & conservandos. Ii sunt Duces Mantuæ, Mutinæ, Parmæ & Vrbini.

Dux Mantuæ in Ducatu suo præter urbem Mantuanam non habet nisi plurima municipia; & Dominium illius undique claudunt, Ducatus Mediolanensis, Venetorum ditio, & Dominium Ecclesiasticum per Ducatum Ferrarienſem. singulorum autem interest, Ducem hunc tueri & conservare. Idem & Montemferratum possidet intra Pedemontium veluti concluſum, in quo & insignia aliquot oppida possider, & inprimis Casalium, cum munitissima quidem arce, & septem propugnaculis, sed quæ Principi non tam opulento magnas adferat expen-

expensas. Vterque hic Ducatus quotannis illi reddit sexcenta millia coronatorum, ita ut si bellum absit, quod modo habuit (& fortasse posthac habiturus est) cum Duce Sabaudiæ propter Montisferratum, satis locuples sit tempore pacis. Est & magnis affinitatibus subnixus, quippe frater hodiernæ Imperatricis, & per matrem è domo Austriaca descendens, affinis & cognatus magni Ducis, & quod vel maximi momenti est, Regis Galliæ, qui jam rerum potitur, cognatus.

Mutinæ Dux, haud ita magnis affinitatibus subnixus est, nisi quod filius illius Sabaudiæ Ducis filiam in uxorem accepit. Ipse autem è spuria propagine familiæ Atestinæ descendit, quæ multis annis Ferrariensem obtinuit Ducatum, qui tandem anno 1598 ob defectum legitimi masculi hæredis à Clemente VIII Ecclesiæ Dominio reunitus fuit. Mutina & Rhegium inter Ducatum Mediolanensem & Dominium Ecclesiæ concluſa, quæ alterius sunt qualitatis, & à Ducibus Ferrariensibus acquisita, solummodo familiæ hujus veluti stolones remanserunt, antiquæ potentiæ veluti reliquiæ; quæ non nisi octo aut decem milliaria occupant, & Duci suo quotannis reddunt

dunt circiter trecenta millia coronatorum.

Dux Parmæ & Placentiæ, Mutinensem neque potentia neque oppidorum numero multum præcellit; Ducatum Mediolanensem attingit, habetque Placentiæ arcem satis munitam, è qua Hispanus præsidium abduxit anno 1586, ob præclaram operam, quam Dux Parmensis ipsi in Belgio navaverat. Hic Dux apertè partes sequitur Hispani, ipsique magis obnoxius est quam aut Mantuanus aut Mutinensis; nam Cardinalis Farnesius Romæ Hispani partes fovet, licet illius potentiam suspectam habeat, neque illam in Italia majores vires cupiat sumere. Recentior est hic principatus, à Paulo III ante annos octuaginta filio suo Petro Ludovico collatus; de quo supra egimus.

De Ducatu Vrbini qui multo antiquior est Parmensi, supra diximus.

XIV.

APPENDIX
DE CORSICA INSVLA.

CVm supra de Genuensium Republica ageremus, Insulam Corsicam ad ipsorum imperium pertinere diximus. quare operæ

operæ pretium fuerit pauca de illa dicere.

Corsica Insula (inquit Cluverius) hodie noscitur esse longa mília CXX, lata L. Crebra admodum atque extensa angustaque promontoria quum in mare emittat, circuitus illius observatu paulo difficilior est; at circum extrema promontoria si mensuras agas, CC circiter & LXXX millia invenias. Cæterum magnitudine tertia habita est omnium interni maris.

Inter Corsicam autem & Sardiniam stadia sunt LX, ut habet Strabo, id est, M. VII, pass. Io. De cœli solique natura ita Diodorus: Insula universa ampla, magna sui parte montosa est, & frequentibus sylvis opaca, parvisque fluminibus irrigua. Incolæ pro nutrimento utuntur lacte, melle, carnibus, quæ regio affatim præbet omnia. Multum buxi, ejusque haud vulgaris, ibi nascitur; quæ causa est, cur mel prorsus amarum exsistat. Ibidem & taxus abundat.

Corsorum ingenia mobilia admodum esse, à scriptoribus observatur, nec urbanos admodum, sed rudiores: crudeles sunt, & supra modum vindictæ cupidi; ita ut in proverbium abierit apud Italos, Corso infenso neque vivo neque mortuo credendum esse; quippe

quippe cum occisorum cognati & affines summo studio vindictam prosequantur, neque facile reconcilientur, nisi forte in speciem. Sunt tamen strenui milites & laborum patientes; durum hominum genus.

In hac Insula primum est Bastia in littore Hetruriæ oppositio sita, in qua Insulæ magistratus jus dicunt, muris haud ita altis cincta, sed adjuncta arce munita: omnium Insulæ civitatum populo frequentissima.

Florentii Fanum, IX à Bastia miliaribus distans oppidum, in spatiosa planitie juxta mare situm, cæteroqui minimè quondam munitum, sed demum à Gallis anno CIↃ IↃ LIII, cum illud intercepissent.

Ajacium oppidum, quondam Vrcinium dictum, vulgo Adiazzo, caput totius Insulæ, oppidum mercatoribus Genuensibus frequens, & opulentum: tribus partibus à mari circumdatum: Ager illius optimum vinum rubrum producit.

Bonifacium, primarium (inquit Thuanus) insulæ oppidum, & olim arx belli, cum Pisani & Arragonii contra Insulanos bellum gererent, ideoque à Genuensibus summis sumtibus & magno studio munitum; situm in Peninsula

quæ

quæ pyri formã æmulatur, & angusto collo reliquæ Insulæ conjungitur. Portum habet pulcherrimum & securum; quippe pene undique altissimis scopulis incinctum. Ager illius omnium fructuum fœcundus, qui Genuæ nascuntur, præterquam ceraſorum: mare vicinum corallum submiſtrat.

Calvium oppidum in mari positum trilatera forma, cui arx munita insidet, undique fere inaccessium, nisi ab ea parte, qua Franciscanorum cœnobium subjectum habet.

Curia arx, saxo fere undiq; præruptо impoſita, in meditullio Insulæ sita, & qua necessario transeundum est ad utrum vis Insulæ latus tendentibus.

De Corsica ita scribit Petrus Bizarrus.

COrsicam hodie recentiores in duas partes distinguunt; plagam quæ orientem solem respicit, latus interius; partem vero huic obversam, latus exterius vocant. Pars quæ Italiæ propinquior est, Cismontana; & quæ Sardiniam versus excurrit, Vltramontana dicitur. Insula est ab omni parte aditu difficilis, cum præruptis undique collibus comprehensa sit. Interius similiter magna ex parte montosa, ideoque fru-

menti non adeo fertilis ; vino tamen commendatur, quod illinc Romam exportant, Corsicumque à loco nomen habet. Gignit etiam equos feroces & canes venaticos spectatæ magnitudinis, & Musinum quoque animal, ut Plinius auctor est, Arietis genus, quod lanæ loco villum fert caprinum, Mosoli vulgo appellatum. Incolas pro strenuis militibus habet Italia. Hæc insula primum à Tyrrhenis occupata fuit, deinde à Carthaginensibus. His eam eripuerunt Romani, qui eam tenuerunt, donec inde à Saracenis expellerentur. hos ex ea profugarunt Ligures. Tandem capta à Pisanis, Pontificibus cessit. Vltimo ad Genuensium jura rediit, in quorum ditione atque imperio adhuc constanter perseverat.

Ioannes Boterus scribit, Insulam hanc tantum LXXV millia animarum continere, cum trecenta millia possit alere. Situ est (inquit) maxima sui parte aspero & montoso, dividiturque per medium, monte Gradaccio, qui in vertice in planiciem perpulchram sternitur, in qua duo lacus visuntur, quorum unus dicitur Ino, alter Crena; ex illo qui circiter medium milliare ambitu suo complectitur, descendit fluvius Guolo, veteribus Tavola dictus, ex hoc

vero

vero Liamone & Tavignã. (olim Ruptanus flu.) Quæ tria flumina totius Insulæ principalia sunt. Guolo enim agrum urbis Marianæ rigat, Tavignanus Aleriæ, Liamone Sagonæ. Montes autem hi editissimi sunt, & non nisi per angustos calles & industria hominum ferroque patefactos superantur. supra LXX millia in longitudinem porriguntur, ubique densis nemoribus obsiti, in quibus sunt larices, abietes, pini, fagi, taxi, buxi, castaneæ, aliæque arbores, ut plurimum inutiles. Valles hujus insulæ cum fœcundissimis Italiæ convallibus contendunt; Abundant oleo, vino, frumento & omnis generis fructibus; maxime Nicolai Vallis, quæ XVIII millia ambitu capit, & copiosissima est frumentis, & optimis pascuis dives: præterea Cazachiæ ager, itemque Aliazzo, Balagna & Nebii & promontorii Corsi. Montes denique Scaralassino ita abundant pascuis, ut pene universos Insulæ Pastores ad se alliciant. Plinius XXXIII oppida in hac insula numerat, & inter illa duas Romanorum colonias, Marianam & Aleriam. Habet hodie Episcopatus hos, Sagonensem, Adiaciensem, Alerisensem & Marianensem. habuit & Nebiensem, sed Nebio penitus everso, S. Florentii fa-

num illius loco conditum fuit. ad cujus fretum sive sinum Salinæ visuntur quas vocant *della Roia*. & Fornoli statio, atque Mortellæ portus, quantarumvis navium capax.

Denique constans opinio est, Rempubl. Genuensem parum aut nihil ex hac Insula emolumenti capere; sed omnes redditus, in ipsa Insula, in Magistratus & præsidia militum rursus impendi.

XV.

DE PLOMBINO.

Ex Thuano lib. v. Histor. ad Ann. CIↃ IↃ XLVIII.

PLombinum, & in ejus territorio Burianum, Scarlinum & Suberetum, præcipua castella, atque adeo Iluam Insulam in Tyrrheno mari ferrifodinis nobilem, ad Cæsaream jurisdictionem pertinere non ambigitur. Ea in Apianorum familia jam ab illo tempore fuere, quo Petrus, cui Gambacurtæ nomen, post Ioannem Agnellum, res Pisanorum, in quorum ditione Plombinum erat, discordiis civilibus labefactatas, in sævissimam servitutem redegit.

Hujus

Hujus temporibus circa annum cIↃ ccc xc celebratur Iacobus Apianus ab Apiano in oraPiſana pago cognomentum adeptus, vir ingenio nobilis, qui primum ſubPetro ſcribæ munus obiit. poſtea ortæ inter eum & Petrum capitales inimicitiæ, quarum exitus fuit, ut Petro cum filiis à Iacobo occiſo, hinc diſtrahente civeis Florentinorum republica, inde Galeatio Vice Comite ac Senenſibus arto fœdere cum eo conjunctis, opera Iacobi, Piſæ in Galeatii poteſtatem devenirent. qui ut Iacobo gratiam rependeret, Plombinum cum omni illo territorio ei emancipavit.

Ab hac origine Apianorum gens fluxit, qui fuere, Iacobus ille, de quo locuti ſumus, & Gerardus Iacobi F. cui ſucceſſit Iacobus II. huic Emanuel, quem Iacobus III, IV, V, ordine ex eadem familia ſecuti ſunt. Hic poſtremus Ioannis Cardinalis Salviati ſororem in uxorem duxit; & dum ipſi res cum Coſmo magno Hetruriæ Duce eſſet, diſceſſit, relicto Iacobo VI puero in matris tutela. Quæ deinceps ſecuta ſunt, ſupra, cum de magno Hetruriæ Duce ageremus, diximus.

XVI.

DE ITALIA.

Ex Ioannis Barclaii libro qui Icon Animorum inscribitur, cap. VI.

ITALIAM intra exiguas olim aquas quę Rubiconem faciunt æstimatam, nunc Alpium clauſtra, propius ad Naturæ mentem, definiunt. Telius multum ſuis bonis, ſed amplius propitiæ famæ debens. Olim Græcorum coloniis ad Orientem celebrata, tum magnitudine imperii, quo illuſtrius nulla ætas aſpexit; & ſuorũ ingeniis culta; nunc etiam poſt exciſos Romanæ magnitudinis nervos, adhuc multis gentibus manet omnis vitæ & inſtitutionis exemplum. Ibi lævigari juventutem, ibi humanitatem velut ludum aperire, noſtri homines arbitrantur. Ipſa nomina urbium, locorumque, tot hiſtoriis fabuliſque vulgata, ad ſtuporem imperitorum valent, ſemperque aliis ſyncerius quam ſibi credentium. Hoc mortalium favore, & Italiæ mala teguntur, & bona ſpecioſiora ſunt. Nec dubium quin aliquot locis amæna ſit ſupra cæterarum regionum felicitatem; qua Benacus maſculis undis per montium clau-

clauſtra ludit, qua Avernus, Puteoli, Cumæ, laſciviunt. Etiam quicquid Gallico nomini Longobardi eripuerunt, ferme æquis & irriguis agris, pulcritudinem ſuam habet. Sed ſi totius Italiæ fortuna cum vicina conferatur Germania, Galliaque, & ad Septemtriones pertinente Britannia, tunc fortaſſe & erubeſcemus, quod prevaricatione noſtra qui tantam illius famam ultro alimus, dotes premat noſtrarũ regionum.

Tellus frequentia montium aſpera, aut nimio & maxime ſterili æſtu torrens. Solum in pleriſque locis aret, & qua ſegetes patitur, frequens rubiginis tabes crudas fruges corrumpit, aut incuſſa turbinibus grando. Ne quidem paſcuorum magna vis, improbo vellere, ciboque pejori. Et vix unquam ubertas Italiæ ſuis alumnis per triennii continuam felicitatem ſatis fecit; multo minus ſuffectura, niſi frugalitas, cœlique conditio multum cibum aſpernantis, parca & ſobria convivia temperaret. Variorum generum arbores, quæ ſub noſtrorum ſyderum manſuetudine largo proventu ſe onerant, ibi nimio Sole conſumptæ, invalidos & vix utiles fructus edunt. Malis autem aureis, puniciſque, præfervida regio, & diverſa ficuum ſtirpe, ad ſuorum

æstuum levamen abundat; quę nec necessaria ad humanos usus sunt, & per Orbem circumlata, plus nostris deliciis, quam pretio suo merent. Namolivas, quanquam ibi inter tria maxima humani generis commoda (cum segete vinoque) numeratas, maxime ex suarum regionum conditione æstimant, in quibus pascuorum vitio siccę boves, exilia ubera, aut olida, mulgentibus tradunt. Carnes, si pauciſſimas excipias animalium sub sole pervicacius durantium, à nostrarum mẽsarum deliciis penè in alios sapores degenerant. Vt jam illa parasitorum gula, GræcasRomanasq; comœdias piscium commendatione implens, pro illarum sedium sorte non parum videatur sapuisse.

Vrbes eximiæ, amænis, ut plurimum, locis conditæ; Domus non è fragili materia, hæ præsertim quas Palatia appellant, plus interdum sua mole spectabiles, quam ad habitantium usum aptatas. Vario marmore, ac interdum auro nitent; fastigia ingenti opere in altum producuntur. Exesæ statuæ preciosis locantur umbonibus, haud raro solo vendentium mendacio debentes quod tam ambitiose eminent. Qua vero parietes laxantur in fenestras, non par reliquo artificio ædibus decor est.

Nam

Nam plerumque aut carbasi vile textum, aut inunctæ oleo chartæ id spatium amplectuntur quod recipiendo lumini destinant. quæ nec in publicum decent, & eorum oculos qui sunt in ædibus, intra triclinii aut porticus fores, tanquam in custodia, coërcent; longe à Britanniæ aut Galliæ cultu, quo muri in fenestras aperti vitro junguntur, libero ad exteriora conspectu, lætaque trepidantis, ut solet, splendoris imagine. Templa autem (nam in tantæ famæ parte sunt) nec totam advenarum expectationem implebunt. In imaginibus, signisque, summus decor. Nihil aris formosius. Putpuram, sericumque, inter gemmas, & metalla, pro vilioribus ornamentis numerant. Solum omnis artificii pavimentis effulgens diverso marmore miscetur, quod per idoneos colores vel imaginem florum reddit, vel in volucrum pecudumq; speciem conjungitur. Columnæ etiam ex marmore, ingentes, & pene ad illius lapidis vilitatem. Sed tam opulenta pulchritudo non ad ultimum venustatis pervenit, fastigiis scilicet plerumque non editis, & nunquam libero sole in obscuras sedes admisso. Fenestræ multo ferro, & ipsa picturarum densitate inumbrantur. si

quam Ædem vel fores opportunæ, vel viciniæ libertas illustrat, etiam appositis velis, vel pariete interjecto, tanti syderis munus repudiant. Adeo religionis sensum putant tristitia noctis elatũ, & per lucis jucunditatem expirare. Quicquid vero peregrini de publicis illis operibus credant, certe privatas hospitiorum sordes, ac plerumque egestatem non sine tristi sensu & mirantur, & oderunt. Quippe in diversoria delatos, jejunæ squalentesque epulæ inter aviditatem & fastidium dividunt. Tum tricliniorum situs; tum culicum, cimicumque omni genere infesta cubilia. Acer inde diversitor, & inclementis hospitii gravis merces.

Sed alia illi regioni blandimenta fortuna invenit, quibus adventantium studia caperentur. Nam aut publicus error, aut propitium Italiæ fatum, ex omni Europa ibi juventutem propellit; mutuo in tanta frequentia solatio; quod cum ipsi sibi debeant, huic tamẽ imputant terræ. Sive igitur tuæ gentis homines amas, ibi frequentiam invenies; sive te aliorum delectabit consortium, in tam numerosis diversarum regionum cætibus erit quoque quod deligas: præcipue quodam animorum commercio peregrinos alligante, ut interdum

terdum ad amicitiam plus valeat hospites simul esse, quam cives. Ita ex omnibus provinciis in unum corpus transeunt, ibique communem, & extemporaneam patriam, videntur constituisse. Præterea, qui in Italiam pergunt, juvenes, ac plerumque opulenti, dum aut oppida mutant, aut præcipua incolunt, dum omnia ad videndi, audiendique voluptatem sollicitant, animos elapsæ pueritiæ venturæque prudentiæ medios permittunt incuriosæ remissioni; maxime cum à patria semotis non occurrat domesticorum negotiorum facies, & hæc ætas à gravioribus curis seipsa subducat. Accedunt oblectamenta juventutis, ars equestris, cithara, spectacula, artifices ad comœdiam nati, sed vix cothurno pares. Reversis deinde in patriam, & negotii (ut opus est) plenis, quid mirum suavi recordatione redire mitissimi temporis ludum, percussoque animo in elapsæ nec redituræ oblectationis memoria, locum quoque tantæ felicitatis conscium gratum esse?

Cæterum magni casus, & regio toties in exitium sui dives, illos primos, & quos ex veteribus discimus mores, de Italicis gentibus ut plurimum excussit. Animus tamen omnium rerum

capax

capax. Neque pingui impetu, & tantum ad naturæ imperium; sed erudite, & cum artificio, virtutes aut vitia sequuntur. Humanitatis effusa promissio, ab iis omni corporis gestu sancitur. verba exactæ urbanitatis, & cum volunt, ad persuadendum aptissima. Etiam prolixe benevolentię indulgent; & ubi vere amant, omnia discrimina habent infra tam humani fœderis sanctitatem. Si quos autem oderunt, (sive sponte aversi, sive se lacessitos existiment) ideo periculi plenior res est, quia hanc animi ægritudinem plerumque tegentes, alte interim æmulationis aut offensæ memoriam recondunt. Læsi interdum ad obsequium descendunt, ut inter amicitiæ jura tutiori fraude grassentur. Etiam ætatem hæc odia ferunt; Ac quod noxiosissimum putes, nonnunquam animus tam facilis est ad vulnus, quam pertinax ad cicatricem. Mentes intra tristiorem prudentiam castigatæ vix sustinent jocos; nec quid temere, & absque consilio, vel dicere assueti vel facere, ex suo quoque more alios æstimant; nutus omnium, oculos, verba, in argumenta animi superflua subtilitate ducentes. Ita perpetuis suspicionibus, atque curis, sui æstus pœnas luunt. Sed & ipsa nimiæ callidi-

tatis

tatis opinio est ingrata, cum vix in simplicem nec suspectam familiaritatem descendentes, semper stare in specula credantur, quid cæteri agant arbitraturi. Venena damnatamque libidinem ideo omiserim, quod non Italiæ propria vitia, sed in totum Orientem criminatio, ad meridiem quoque deflectens, uni genti præcipue imputari jure non possit. Maxime cum hæc scelera tenebris fraudique mandata, & negari facilius à conscíis possint, & ab æmulis fingi. Ingens autem & publica crudelitatis opinio est, quã illic feruntur odio inter se inimici exercere: prædonesque grassari. Ita affectus dispensante natura, ut in quibus regionibus major passim humanitatis species cernitur, ibi prædonibus sit trucior animus, inimicitiarum quoque & ultionis ingenium magis in barbaros ritus degeneret. Nam Italia ultro prodigens obsequii cultusque promissa, quod est ad odiorum immanitatem aut latronum, in extremum sævitiæ abiit. Galli non pari humilitate verborum, gestuumque, amicitiam colentes, multum quoq; de crudelitate remiserunt. Neque enim tam facile adducuntur, ut impiis cædibus naturæ jus violent; saltemque mortem suppliciorum maximum

ximum putant, non pœnarum optabilem metam, & ad quam debeant inimicis per tormenta gradus esse. Demum Anglia à Gallicæ humanitatis pompa recedens etiam multo magis ab illa crudelitatis barbarie divertit. Nam & prædones spoliis contenti sunt, & omnino insolens facinus, adimere vitam. Oblongas perticas, ferroque præfixas, cervicibus euntium illidunt, ut animo per subitum & brevem liquente torporem, nec illi suas res defendere possint, nec ipsi ad cædis nefas adigi, qua mutuæ rixæ frequenter funestæ sunt.

Italiam autem, quanquam totam Alpes & maria in se collegerint, unius quoque linguæ societate cognatam, tamen diversus multiplexque spiritus in varios mores egit. Sæpe enim, & per partes, à diversis gentibus victa, non unius animi incolas admisit: quos indoli suæ miscens, ab iis vicissim externi genii fatis imbuta est. Accessit ad formanda ingenia regiminis modus, in quod se unaquæque pars, post tot cladium mutationem, composuit. Roma multo variarum gentium impetu jam olim de suæ magnitudinis ac opulentiæ fastigio dejecta est, tanquam Orbis sua spolia inde reposceret. Neque

que unquam mutatio jus ſuum in hominum animos majori prodigio exercuit, quam cum illud Imperium ingenti ſpiritu Romanæ indolis erectum humilitate & ſocordia affixit. Nunc ipſa Vrbs ſub Pontificum Iure, cum non modica Latii Vmbriæque regione, viciniſque aliquot populis, aptos quoque tali imperio animos induit; ſcriptis quippe, terroreque, & veneratione cæleſtium rerum, toto Orbe ſui Principis majeſtatem, pluſquam armis & majorum fortitudine, aſſerens. Sub Regibus autem illud omine conceſſit, quod à Piceno, ſinuque Formiano, Adriaticæ & Tyrrhenæ undæ cingunt, in ingens Ionii maris latus extrema cornua Italiæ effundentes; Sedem nomenque Imperio Neapolis dedit. Non alibi in Italiæ finibus majoribus animis nobilium virorum impetus, ac propemodum faſtus, attollitur: Equorum, armorumque ſtudioſi ſunt; faciles ad ſtimulos gloriæ, & in omnis magnificentiæ cultus intenti.

In alia Italiæ ora, qua influenti Adriatico primæ terræ intercedunt, urbem Veneti condidere, cum oppidis exuti, in illa vaſtitate quam Attila Italiæ fecit, ſuis ſe paludibus tegerent. In ea civitate quanquã toti nobilitati

gerendæ

gerendæ Reipublicæ jus est, tamen summum Imperium penes paucos ex senioribus manet, severum quidem illud atque sollicitum, ut necesse est, in tanta vicinorum potentia, civiumque deinde opibus, nisi cohibeantur, ad ambitum vitio divitiarum spectaturis. Sic illa disciplina domitos animos per aulicorum studiorum venustatem non deducit; ac ne quidem illis voluptatibus decorique assuefacit, qui patricias stirpes alibi tenet; ut est rei equestris armorumque disciplina, aptæ quoque elegantiæ, & urbanitatis, pro seculi more, peritia. Plus denique publice sapere, quam privatim, edocentur; nisi quod in procurando patrimonio eximiam sedulitatem habent. Aliæ præterea urbes olim se composuerant per varia Italiæ littora in Reipublicæ auspicium, quas fortunæ vis erepta claritate Imperii, quod per externa maria quæsierat, in Regum Principumque clientelam coëgit. Iam in iis mixti animi, semperque pendentes sunt, inter glorioſæ libertatis cupiditatem, cujus adhuc imaginem vident, & Principum, ad quorum patrocinium confugêre, necessariam simul gravemque potentiam.

Insubres autem, corporibus animisque

que ſpeciem ac genium Galliæ Italiæque miſcuerunt, vultu membriſque pene compoſitis ad Gallorum venuſtatem, quam deinde Italicis doribus implent. Sed & utrinque ut virtutes, ita vitia exceperunt. Cæteræ in Italia regiones Principes ſuos habent, modicis plerunque imperiis, ideoque majori callĭditate, ut ſunt in ingenti pelago ſcaphæ, adgubernandis: cumque in anguſtis Provinciis niſi per immenſa vectigalia ſufficere opes non poſſint majeſtati dominantis; ſalubri conſuetudine illæ gentes aſſueſcunt & opes invenire, & pro imperio repoſcentibus non negare.

Nihil autem eſt tam arduum ſedulitati humanæ, ad quod Italici acumĭnis pręſtātia non attollatur. Ab ultima etiam ſorte vulgi non paucos quotidie in nomen atque opes felix induſtria producit. Nullum curarū genus quod divitias promittat, aut, ſi opus eſt, humilitatis ſpecimen aſpernantur: longi quoque laboris ſpeique patientes: Quorum alterum faſtus Hiſpaniæ, alterum ſubita atque præceps vis Gallorum non toleret. Altæ & ad Rerumpublicarū gubernationem validę mentes, ad omnem fortunam idoneæ. frugi homines, intentique ad futura.

Latine ſcribere inter illos haud pauci,

non utique loqui norunt. Linguam quoque qua vulgo utuntur, quanquam nihil eſt aliud quam cum corrupta Latinitate barbarorum mixtura verborũ, quantum poſſunt ab originis ſuæ veſtigiis, loquendo ſcribendoque, avertunt adeo ut in fauces revocent verba, quo aſperitas ſoni, vocumque contractio (quæ vix totę ad aures perveniunt) nihil Latinæ cognationis videatur habere. Quo more Hiſpania jam & ipſa ſuam linguam infecit, ita demergens ſimplicitatem vocum, ut confuſa & à ſummo pectore coacta aſperitas deleat multarum literarum ſuavitatem. Tamen amœnitas ſtudiorum in Italia non exigua, & maxime eæ partes ad quas vivax Naturæ lepiditas invitat. Teſtis, gentilitii carminis pulchra & ad vicinorum invidiam gravis ubertas, quæ nomina Poëtarum, tot amorum ignibus ad ſupplicii celebritatem fictis ardentia, ſacravit. Nec enim intereſt, ſua, an antiquorum lingua locuti ſint; cum ſit ejuſdem virtutis impetus, qui tenerum & opulentum ingenium in popularem, quique in veterem facundiam, laxat. Nam & Græci quæ intelligeret populus ſcribebant; & Romani Græcos mimos, & Atticæ eloquentiæ efficax robur, ad ſui vulgi aures

aures accommodaverunt. Iam quid de Italicis hiſtoriæ ſcriptoribus dicam? iſtis quidem ſyncera prudentia victuris, illis autem tantum nimia eloquentia & partium favore peccantibus? Sed & ſapientia cœleſtis, & humanæ prudentiæ diſciplina, cæteraque omnia quæ in Muſarum tutela ſunt, nunquam parum illius populi ingeniis debuerunt. Ad extremum non alibi ſanctiorum virtutum exempla, pejorumve facinorum, quam in Italicis animis cernas; & quod quidam de Attica dicebat, nullibi vel atrocior cicuta eſt, vel ſuavius apes exſuctis digeſtiſque floribus cellas implent.

CATALOGVS AVTHORVM,

Quibus potiſſimum in hoc *Commentario de Principibus Italiæ* uſi fuimus.

BErnardus Saccus Ticinenſis Hiſtolib. x. extat in Italiæ Illuſtratæ authoribus.

Bodinus de Republica.

Cominæi Hiſtoria.

Franciſcus Guicciardinus Florentinus de bellis Italiæ.

Gaudentius Merula de antiquitatibus Galliæ Cisalpinæ. Italiæ Illustr.
Iacobi Augusti Thuani Historia.
Ioannis Boteri Historia universalis.
Lambertus vander Burchius de Sabaudorum Ducum Principumque Historia.
Les Estats, Empires, Royaumes & Principautés du monde, par le Sr D. T. V Y.
Leandri Alberti Bononiensis descriptio totius Italiæ.
Lettres du Cardinal d'Ossat.
Mercure François.
Onuphrius Panuinus.
Pandulphi Collenutii I C. Pisaurensis Neapolitana Historia.
Petrus Bizarrus de rebus Genuensibus.
Philippus Cluverius.
Philippi Honorii praxis Prudentiæ Politicæ.
Quæstiones Formianæ.
Scipionis Mazellæ Neapolitani descriptio Regni Neapolitani. Italicè.
Thomæ Costi civis Neapolitani Appendix ad Collenutii Historiam. Italicè.

INDEX

Rerum maxime memorabilium quæ hoc Commentario pertractantur.

A.

A Bruzzo sive Aprutii oppida. 117
Adogo tributum Neapolit. 124
Æneas Pius Ferrariensis. 41
Alexander Medices. 240
Alexandria à Palea. 152
Allobroges populi. 217
Apiani Plombini Domini. 264. familia eorũ. 357
Apuliæ limites & qualitates. 100. Vbertas. 101
Equi præstantiss. ibid.
Apulia Peucetia. 104
Apulia Plana sive Daunia. 104
Aquæ Sparsæ Dux. 42
Aretium urbs. 245
Arnus fluvius. 242
Assortatores magistr. Lucæ. 192
Asta oppidum. 199
Augusta prætoria. 201
Augusta Vallis. ibid.
Aviliana oppidum. 207

B.

BArensis tractus oppida. 116. quid quotannis pendat. 125
Barga urbs. 209
Basilicata R. Neapol. provin. 115. quid quotannis pendat. 124. quot urbes contineat. 115. quot turres littorales habeat. 124
Benacus lacus. 288
Bentivolius Marchio. 46
Bevilacquæ Comes. 41
Biela oppidum. 206
Bobiensis Marchio. 44. 234
Boglia Comitatus. 214
Bonvisii Lucenses. 43
Borromæus Comes. 47
Bracciani Dux. 42
Briga in Nyzza Comitatus. 214

INDEX.

Briqueraſcum. 209
Brutiorum regio. 103, 104
Burgum S. Sepulchri. 245
Buſca Marchionatus. 208

C.

CAbo Spartivento. 102
Cælii familia Rom. 42
Calabriæ cœli ſolique ratio. 100. utriuſque oppida. 116. turres littorales. 124. quid quotannis pendat. 125
Calabrorum ingenia. 113
Calognenſe vinum. 201
Camerlingus magiſtr. Luc. 194
Camertium ditio. 309
Cannabeſium. 201
Capitaneatus R. Neapol. provincia. 116. turres littorales. 124. cenſus annuus. 125
Cararaghii Marchio. 47
Carbonaria turris. 220
Carinianum. 208
Carporum Principatus. 301
Carretorum familia. 165
Caſalium S. Evaſii. 291
Caſſanum oppidum. 154
Caſtillioneus Marchio. 44
Catholici Regis potentia in Italia. 11. maritima potentia. 13. Dynaſtæ qui ipſi ſubſunt. 46. Redditus in Regno Neapolit. 125. Eccleſiæ ſub ejus patronatu. 121
Cavortium. 209
Cenami Lucenſes cives. 43
Cenſores Genuatium. 181
Ceva. 210
Chamberinum oppid. 217
Cheraſcum oppidum. 208
Cherium oppidum. ibid.
Chivas oppid. 212
Ciric municipium. 211
Civitatis Novæ Dux. 42
Civitella in Reg. Neapol. 106
Clavium caſtellum Genuenſium. 163
Cluſonia vallis. 210
Cocona Comitatus Sabaud. 219
Colorni Marchio. 46
Comes Pyrrhus. 47
Comperæ Genuenſium. 176
Comum urbs. 152
Corbellonorum opes. 47
Corſicæ Inſul. deſcr. 350

Corſo-

Corsorum ingenia & mores. 351
Corsinorum opes. 45
Cortegnæ Marchio. 41
Cortona urbs. 245
Cosmus I Florentinus Dux. 263
Cosmus II Florentinus Dux. 275
Cremæ territorium. 145
Cremonensis ager. 146
Cuni oppidum. 207
Curiæ majoris Marchio. 46
Curtumilia. 212

D.

Datarii qui sint. 50
Dogliani in Saluc. Marchion. 205
Donativum quod Neapolitani Regi pendunt. 109. quantum fuerit superioribus annis. 128
Dronero civitas. 205
Duriæ amnes duo. 203
Ducis Genuensis dignitas. 173

E.

Ella fluvius. 203
Eporedia Civitas. 200
Equites B. Stephani. 271
Evenatozzi Marchio. 44

F.

Farnesiorum familia. 302
Ferdinandus magnus Hetruriæ Dux. 272
Ferdinandus II Hetruriæ Dux. 276
Ferritore amnis. 182
Finalium, illiusque conditio. 165. quando Hispanis cesserit. 166
Florentiæ descriptio. 239
Florentinus ager. 249
Florentinorum ingenia. 250
Florentinorum Ducum stemma. 277
Fossanum oppidum. 204
Franciscus Hetruriæ Dux. 272

G.

Galeatiorum stemma. 160
Gatrinara oppidum. 212
S. Gemini Dux. 42
Gennatium potentia. 19, 20, 21. Dynastæ qui ipsis subsunt. 43. politiæ illorum descriptio. 167. familiæ veteres & novæ. 169. Magistratus. 173, &c. urbis situs. 181. Parochiæ. 182.

Illius portus Africo expositus, 185
S. Georgii Magistratus Genuæ. 179
Giavenna oppid. 209
Glaniana vallis. 247
Gonfalonerius Magistratus Lucæ. 191
Grafiniana vallis. 301
Guastallæ Princeps. 7

H.

HAnnibal Grimaldus Bobiensis Dynasta, 2[illegible]
Hetruriæ Ducis redditus 27. 2[illegible] Dynastæ qui ipsi subsunt. 45. Ducatus limites & descriptio. 238. vires limitares. 256. copiæ maritimæ. 258. Armamentarium Pisanum. 259. Ordo Equestris. 260, 271
Hippona ab Hetruriæ Duce capta. 275
Hispani potentia in Italia. 330. quibus modis Italos compescat. 331

I.

ILua Insula. 258
Insulæ Neapol. Regni. 112
Ioannis Fanum in Maurienna. 218
Ischia Insula & Arx. 112
Iulius Riarius Bononiensis. 41
Iurea, hodie Lamporegio. 200
Ius quod Galliæ Reges sibi vendicant in Ducatum Mediolanensem. 161
Ius quod Imperatores sibi in Mediolanensem Ducatum vendicant. 163
Ius quod sibi Galliæ Reges in Genuatium Rempubl. vendicant. 188
Ius quod Sabaudiæ Dux sibi vendicat in Marchionat. Montisferrati. 485

L.

LAtii divisio. 103
Lauda civitas. 151
Leucopetra, hodie Capo del armi. 103
Licentinorum ager, hodie Principatus dictus. 103
Livenza amnis. 214
Livorno, Nova urbs. 248
Lombardorum ingenia. 332
Lucania, hodie Basilicata. 103
Lucensis Reip. potentia. 22, 43. civitatis ambitus. 190. Magistratus. ibid.
Lucerna in Pedemontio. 211
Lyris fluvius, hodie Gargiliano. 103

M. Mal-

INDEX.

M.

MAlvezzius Bononiensis. 41
Mantua urbs. 287
Mantuæ Ducis potentia. 27, 28, 29. Dynastæ qui ipsi subsunt. 44
Mantuani Ducatus limites. 281. Ducum successio. 282. Stemma. 296. contentio cum Sabaudo. 287. annui redditus 348. Affinitates. 349
Marignani Marchio. 47
Martinengæ Dynastæ. 43
D. Martini Marchio. 44
Maurienna provincia. 218
Medesimus portus. 166
Medicea familia quibus gradibus ad tantam potentiam pervenerit. 261
Mediolanensis Ducatus. 143. illius limites. 144. oppida & vici. 146, & seq. Ducum familia. 160, 161. civitas metropolitana. 146. illius Arx. 148. Armamentarium. 148. Agri fertilitas. 146
Miolanum castellum Sabaud. 220
Mirandulæ Princ. opes. 39, 40. Connubium. 326
Mirandulæ & Concord. Comites. 318
Molisinus Comitatus oppid. 117. tributum annuum. 125
Monachii & Corregii dynasta. 8
Mondovi oppidum. 203
Monmelianum. 220
Mons Ilcinus. 245
Mons Politianus. 245
Montes Italorum quid sint. 49
Montisferrati Marchionatus. 286. ejus descriptio. 289
Montis Lancii Dux. 42
Montis Marchio. 45
Mutinæ Ducis potentia. 30. Dynastæ qui ipsi subsunt. 46. urbis descriptio. 297. Ducatus oppida. 309. annui redditus. 349

N.

NEapolis urbis descriptio. 117. arces illi adjunctæ. 118. publicum urbis consilium. 119. Portus cum sua mole. 118
Neapolitani regni conditio. 190. quomodo ad Arragonios pervenerit. 93. quomodo ad Hispanum. 94, & seqq. Cœli solique ratio. 100, 101. Ambitus & limites. 101. Provinciæ particulares. 103. oppida. 105. arces. 106.

portus pauci. 107. flumina. 108. nobilitas copiosa. 108. annui redditus regni. 108, 120, 125. militia equestris & pedestris. 110. classes maritimæ. 111. senatus regni. 113. foci totius regni. 120 Archiepiscop. & Episcop. redditus. 121. officia regni publica. 122. turrium littoralium numerus. 124. Regum series. 129 & seq. Donationum quas Regi pendunt. 128
Neapolitanorum ingenia & mores. 113
Neapolitanum regnum à Normannis ad Suevos translatum. 91. feudum Ecclesiæ Romanæ. 92
Nepe ditio. 303
Nizzæ Comitatus. 213. illius oppida. ib. & 214
Nizza urbs. 214
Nola urbs. 114
Novara civitas. 153
Novum castrum Neapol. 117

O.

Ocininum castrum. 290
Octavianus Fulgosius. 168
Octoviri Genuenses. 178. Lucenses. 196
Oneglia. 210
Ottagium vicus Genuensium. 183
Ovi arx Neapol. 118

P.

Pacis conditiones inter Galliæ Regem & Ducem Sabaudiæ. 219
Pandataria Insula. 259
Papia Ticinum. 150
Parmæ Ducis potentia. 34. & seq. Dynastæ qui ipsi subsunt. 46
Pedemontii limites. 197. flumina. ibid. fertilitas insignis. ib. opes & potentia. 198. Episcopatus. 199. oppida & municipia. 200
Pella amnis. 210
Pepoli Comes. 41
Pienza oppidum. 247
Pinarolium oppidum. 206
Pisæ descriptio. 241. Pisanus ager. 249
Pizauri à Gorzone. 43
Pistoria, vulgo Pistoja. 207
Placentia Mediolanensis juris. 35
Plombinum. 264, 322
Pociferum flum. 182
Pociferana vallis. 183
Pomarium oppid. Montisfer. 289
Pondium Castellum. 271
Pons Sturæ. 290

Ponti-

Pontificis ditiones. 8. 59. annuus redditus. 9. 74. 87. Expensæ. 10. potentia maritima. 11. Dynastæ qui ipsi subsunt. 41
Pontificis creatio. 82
Portus Ferratus in Ilua Insula. 264
Principatus R. Neapol. provincia. 115
ejus oppida & municipia. ibid.
Puteoli, olim Dicæarchia. 114
Pyrrhus Maluezius Bononiensis. 41

R.

RAconigum oppidum. 208
Raconigius dynasta. 44
Ravellum arx. 205
Rhegium Lepidi. 300
Riarii Bononienses. 41
Rivoli oppidum. 208
Roboreorum gens. 309
Romana Pontificis ditio. 8
Romanensis ditio. 9

S.

SAbaudiæ Ducis potentia. 24. & seq. Dynastæ qui ipsi subsunt. 44. Limites regionis. 217. qualitas. 343. Arces. 220. Ducis dignitas. 221. familiæ connubia. 222. provinciæ in quas Sabaudus jus sibi vindicat. 224 Comitum & Ducum series. 226. Confœderati. 341. redditus annui. 344
Sabellii Duces Montis Lancii. 42
Salæ Marchio. 46
Salentinorum regio. 104
Salinus amnis. 107
Saluciarum civitas. 204. Marchionatus. 205
Salviatorum opes. 45
Samnium hodie Vallis Beneventana dicitur. 105
San-Bonifacii Comites. 43
Sangrio in Com. Nyzzæ. 214
Sanitatis Curatores Luc. 195
Santremense Castrum Neapoli. 88
Saporis flu. 103
Savigliano. 209
Savona. 183
Scyllaceum. 103
Senæ descriptio. 243. Senenses quomodo ad Florentinos pervenerint. 262
Sermenettæ Dux. 42
Sfortiarum stemma. 161
Siculi quomodo ab Hispano regantur. 330
Siciliæ utriusque Reges. 129

Simon Buccaniger Genuenſis. 167
Soanum à Coſmo captum. 271
Soregnæ Marchio. 46
Soſpello oppidum. 214
Spinola Marchio. 43
Spoletinus Ducatus. 9
Suſa oppidum. 207

T.

TAliacotium caſtellum. 112
Tagliacotii Duces è Columnenſi familia. 42
Tarentinus portus. 107
Tarentinæ provinciæ oppida. 116. turres littorales. 124. tributum annuum. 125
Tendæ Comitatus. 216
Terra di Bari. 104
Terra Laboris R. Neapolis provinc. 114. annui redditus. 125. oppida & municipia. 114. turres littorales. 124
Ticinum, hodie Pavia. 150. Agri fertilitas. 151
Trani portus. 107
Treſium oppidum. 154
Trivultius Marchio. 47
Turin Taurinum. 202

V.

VAvarum oppidum. 154
Venetorum potentia. 14, & ſeq. Dynaſtæ qui ipſis ſubſunt. 43. prudentia politica. 324. reditus annui. 337. Conſilia politica. 339. confœderationes. 340
Vercellæ civitas. 200
Viæ quæ è Latio in Regn. Neapolitanum ducunt. 112
Vigenanum oppidum. 154
Villapium caſtrum. 290
Villa franca. 214
Viperata flu. 107
Vmbriæ ditio. 8
Volaterræ urbs. 245
Vrbini D. potentiæ. 37. 38. Dynaſtæ qui ipſi ſubſunt. 45. familia Ducum. 309. reditus in Regno Neapolitano. 316
Vrbini ducatus quomodo tandem ad Papam Romanum redierit. 317

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

ILlustrium & Præpotentium D. D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum est Bonaventuræ & Abrahamo Elzeviriis, *Academiæ Leydensis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, aut alibi extra provincias excusum inferat vendatve librum hunc, cui titulus*, De Principibus Italiæ, tractatus varii. *Quod si quis contempta auctoritate, directe vel indirecte, librũ hunc, totum, vel partem ejus, hoc sive alio modo, extra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impressum alibi in has oras inferre & vendere præsumpserit; confiscatione exemplarium, mulctaque insuper sexcentorum florenorum damnas esto; uti latius patet in ipso privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium,* XV *Maji,* MDCXXVI.

G. V. HERTEVELT Vt.

Ad mandatum Præpotentium D. D. Ordinum General. ſſ.

I. van GOCH.

A0172425